

ELEMENTA
AD FONTIUM EDITIONES
LXIX

DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO
AD POLONIAM SPECTANTIA
XXXVI PARS

Ostpr. Fol., vol. 45, 55, a. 1559-1560.

ediderunt

CAROLINA LANCKOROŃSKA et LUCIANUS OLECH



NON EXTINGUETUR

ROMAE 1988

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA VIRGINIO ORSINI 19 - ROMA

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA

(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

- XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani*. Vaticani, 1943.
- XII — MEYSZTOWICZ V., *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur*. Vaticani, 1944.
- XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituant*. Romae, 1947.
- XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani*. (Ed. chirotypica, exhausta).
-

ANTEMURALE, I-XXVIII, Romae, 1954-1985

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

- I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae*. Collegit J. LISOWSKI, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565), 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).
- II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424), 19 fasci 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).
- III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, I pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787), 29 tab., 1961.
- IV — *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603), 9 tab., glossarium verb. ang. ant., 1961.
- V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana*. Ed. P. COLLURA, pp. XI+86, 483, doc. (A.D. 1568-1682), 4 tab., 1962.
- VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XI+396, 281 doc., (A.D. 1603-1629), 8 tab., glossarium verb., ang. ant., 1962.
- VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, II pars., Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676), 11 tab., 1962.
- VIII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. X+214, 157 doc. (A.D. 1514-1576, 1720-1791), 7 tab., 1963.
- IX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, I pars. Coll. L. KOCZY, pp. XII+184, 98 doc. (A.D. 1526-1572), 8 tab., 1964.
- X — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, III pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+, 1399 doc. (A.D. 1568-1676), 12 tab., 1964.
- XI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, II pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+287, 214, doc. (A.D. 1567-1579), 7 tab., 1964.
- XII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, III pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. V+291, 163 doc. (A.D. 1571-1576), 5 tab., 1964.
- XIII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici*, I pars., Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+175 (A.D. 1598), 2 tab., 1965.
- XIV — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino Romae*, I pars. Ed. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. VI+234, 177 doc. (A.D. 1575-1668), 4 tab., 1965.
- XV — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, IV pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VI+340, 211 doc. (A.D. 1576-1587), 5 tab., 1966.
- XVI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*, V pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VII+336, 227 doc. (A.D. 1587-1590), 5 tab., 1966.
- XVII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici*, II pars. Ed. C. H. TALBOT, pp. VII+311, 169 doc. (A.D. 1411-1616), 2 tab., 1967.
- XVIII — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino*, II pars. Ed. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. VIII+256, 140 doc. (A.D. 1669-1676), 4 tab., 1968.

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

**E L E M E N T A
AD FONTIUM EDITIONES
LXIX**

**DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO
AD POLONIAM SPECTANTIA
XXXVI PARS**

Ostpr. Fol., vol. 45, 55, a. 1559-1560.

ediderunt

CAROLINA LANCKORÓNSKA et LUCIANUS OLECH



NON EXSTINGUETUR

R O M A E 1 9 8 8

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
LANCKOROŃSKI
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA VIRGINIO ORSINI, 19 - ROMA

I N D E X R E R U M

Introductio	Pag.	VII
Abbreviationes	»	VIII
Textus	»	3
Elenchus epistularum	»	191
Index personarum et locorum	»	199

INTRODUCTIO

Typis exscribendum mandamus LXIX volumen Elementorum ad Fontium Editiones, seriei vero nostrae «Regiomontanae» XXXVI, in quo continentur 370 epistulae Alberti in Prussia ducis, annis 1559 et 1560 scriptae et maxima ex parte in Regnum Poloniae et Magnum Ducatum Lithuaniae missae.

Quod attinet ad res et argumenta, quae in epistulis hic publicatis tractantur, hoc etiam volumen directa continuatio est voluminum praecedentium. Hic quoque agitur de negotiis cum quotidiana Ducatus Prussiae administratione conexus: de regundis, emendandis, defendendis denique finibus, de solutione teloneorum et vectigalium, de importandis bobus etc. Nec desunt litterae intercessoriae et commendaticiae. Iterum agitantur quaestiones, cum ipsius ducis Alberti persona vel cum eius familia coniunctae, ut sunt negotium abrogandi banni imperialis, quo tamen dux usque ad mortem a S. Romano Imperio proscriptus manebit, et postulata investitura feudi Franconici (cfr. Introductionem voluminis praecedentis). Magnae etiam curae duci Alberto esse pergit status et condicio fratris eius Gulielmi, archiepiscopi Rigensis, cui non paucae litterae dedicatae sunt.

Quae omnia, ut saeculo XVI fere semper accidere solet, cum causa religionis quodammodo conjecturunt, eo vel magis, quod res religionis, similiter ac annis anteactis, apud ducem Albertum maximi sunt momenti, tum sub aspetto, ut ita dicamus, privato, propter sinceram eius in Deum pietatem et non postremam theologiae cognitionem, tum publico, utpote qui «novae fidei» patronum et strenuum defensorem, etiam extra Ducatus sui terminos, se esse agnoscit.

Non parum loci in epistulis, duobus illis annis a duce Alberto scriptis, destinatum est bello Moscovitico in Livonia. Qua in re dux Prussiae tum apud regem, tum apud Regni proceros sedulo instare et sollicitare non desinit, quo «afflictæ provinciae Livoniae» re ipsa et tempestive promissa auxilia ferantur, nam ei omnino persuasum erat, si «immanissimum hostem Moscum» victoriaram de Livonibus reportare contigerit, maximo id non solum Livoniae, sed etiam Prussiae et toti Poloniae Regno detimento futurum esse.

Quae res in hoc volumine præ ceteris omnibus tractatur et differentiam eius «specificam», quam vocant, efficere videtur.

C.L.

ABBREVIATIONES

- El. Elementa ad Fontium Editiones
M.D.L. Magnus Ducatus Lithuaniae
Ostpr. Fol. Ostpreussische Folianten
R.P. Regnum Poloniae

TEXTUS

1559

N. 4786.

E Regio Monte, 1.I.1559.

Albertius dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

nobilem quandam Germanum Fridericum de Grüne, rei armamentariae peritum, hominem suspectum, in Moscoviam iter facere indicat et arbitratur eum a custodibus et praefectis regis diligenter observandum esse.
Ostpr. Fol., vol. 55, f. 517.

Regi Poloniae, 7 Ianuarii.

Scribit, ut Fridericum de Grüne, in Moschoviam euntem, observari iubeat.

Serenissime Rex, Domine Clementissime, Consobrine Charissime.

Nobilis quidam Germaniae, Fredericus de Grune appellatus, homo muniendarum urbium seu castrorum omniumque eorum, quae ad rem armamentariam et architecturam pertinent, non vulgariter peritus, operam suam Germaniae Principibus multis ab annis egregie navavit. Is dicitur iter in Moschoviam facturus et servititia Moschorum Ducil¹⁾ sua addicturus esse. Quia vero eius viri scientia mihi non incognita est, timendumque est, si ad Moschum pervenerit atque stipendia ibi meruerit, ne S. Regiae Vestrae Maiestati et vicinioribus eius terrae provinciis magno id incommodo et damno futurum sit, duxi indicandum hoc S. Regiae Vestrae Maiestati esse, ut ipsa custodibus seu praefectis suis itinerum, quae in Moschoviam ducunt, iniungat, ut proficiscentem eum hominem observent. Dixisse enim fertur se non per meum Ducatum, sed alia via in Moschoviam iturum. Ut autem eo minus agnoscatur, dicitur barbam, quae subrufa illi erat, abrasisse, reservata saltem eius illa parte, quae in superiori est labro, sicut apud Moschos moris est. Statura corporis illius est mediocris, obesa non nihil.

Factura S. Regia Vestra Maiestas rem apprime necessariam, si eum Moschoviam ingredi prohibuerit. Quam ad rem S. Regiae Vestrae Maiestati rationes appositas ad manum esse minime dubito. Atque haec S. Regiam Vestram Maiestatem celanda esse non putavi. Quam feliciter valere exopto. Datae Regiomonti.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Ioannes IV Basilides.*

N. 4787.

S.l., 7.I.1559

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
de Friderico de Grüne, Germano, militiae et rei armamentariae perito, in
Moscoviam iter facturo (cfr. N. praeced.).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55 ff. 518-519.

N. 4788.

S.l., 13.I.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*Ioannem Seclucionum, concionatorem Polonum in Regio Monte, in negotiis
quibusdam ad se fratremque suum germanum attinentibus ad regem pro-
ficiiscentem, commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 519.

N. 4789.

S.l., 15.I.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*rogat, ut palatino Cracoviensi, ad Comitia Imperii oratori deputato, negotium
conferenda sibi investiturae provinciae Franconiae committere velit;
petit etiam, ut eidem oratori suo iniungat, quo omnes conatus magistri
Ordinis Theutonicorum, ad Prussiam spectantes, impugnare et impedire
conetur, de negotio autem proscriptionis seu banni imperialis non prius
verbum faciat, quam ab eodem Ordinis magistro eius mentio facta sit;
rogat tandem, ut rex legatos suos vel ipse audiat vel per aliquem alium eos
audiri iubeat.*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 522-524.

Regi Poloniae, 15 Ianuarii.

Petit, ut S. Regia Maiestas internuntio imponat negotium de investi-
tura provinciae Franciae. Item omnes petitiones Magistri Livoniae¹⁾
aboliri. Item de banno imperiali, cuius nulla, nisi praecedente admoni-
tione, fiat mentio. Item orat legatos suos audiri.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrini Charissime.

Cum relatum ad me esset Magnificum Dominum Palatinum Cracovien-
sem²⁾ a S. Regia Vestra Maiestate oratorem ad S. Romani Imperii Comitia
deputatum esse, officiosissime S. Regiam Vestram Maiestatem rogandam

esse duxi, ut pro sua in me clementia eidem negotium quoque meum de conferenda mihi eius provinciae investitura, quae ex morte pie defuncti nepotis mei, Marchionis Alberti³⁾, mihi obvenit, apud S. Imperatoriam Maiestatem⁴⁾ et Imperii Principes de meliori nota S. Regiae Vestrae Maiestatis nomine commendandum promovendumque committere dignaretur. Qua in re cum S. Regiam Vestram Maiestatem non difficilem se mihi praebituram esse sciam, maiorem in modum oro, ut hanc quoque partem eiusdem Domini oratoris legationi adiiciat. Spero enim me, accedente S. Regiae Vestrae Maiestatis intercessione, minus laboriose id, quod mihi iure debetur, consequeturum esse. Qua forma autem petitio ratione dictae investiturae instituenda est, clementer id S. Regia Vestra Maiestas ex nuntio apud illam meo, Doctore Christophero Jona, audire ne gravetur, cui [f. 523] omnes eius negotii circumstantiae probe sunt cognitae.

Porro tametsi S. Regiam Vestram Maiestatem etiam nullo submonitore praecogitasse existimo, quid eundem oratorem suum facere velit seu conveniat, ubi is intellexerit Magistrum Ordinis Teutonicorum Generalem⁵⁾, ut vocant, in iisdem Comitiis ab Imperatore investituram super Prussiae terras petiturum esse, tamen et hac de re scribendum mihi ad S. Regiam Vestram Maiestatem esse putavi. Quam officiosissime oro, ut si id iam factum non est, Dominum oratorem informet, quid ad impugnandos turbandoque Magistri illius conatus, proque defendendo iure et dominio, quod S. Regiae Vestrae Maiestati in Prussiae terris competit, expedire duxerit.

Praeterea si contingat eundem Magistrum afferre aliquid in medium de proscriptionis decreto in me lato, ut et hac in parte expressum S. Regiae Vestrae Maiestatis mandatum habeat, siquidem obscurum S. Regiae Vestrae Maiestati non est, eam proscriptionem ex Serenissimi parentis S. Regiae Vestrae Maiestatis piae recordationis⁶⁾ inhibitione emanasse, ut dubium mihi nullum sit firmissima S. Regiae Vestrae Maiestati argumenta adesse, quibus orator illius ad utrumque praemissorum pro dignitate et honore S. Regiae Vestrae Maiestatis uti queat, ita tamen, ut non prius verbum de hac re ullum faciat, nisi a Magistratu moneri illam animadverterit. Ad haec eidem oratori iniungi quoque oro, ut nuntium in Comitiis Imperialibus meum, Asuerum Brandt, commendatum sibi habeat eumque omnibus in rebus consilio, ope et opera iuvet praestoque illi sit.

Postremo latere S. Regiam Vestram Maiestatem nolo me legatis ad S. Regiam Vestram Maiestatem illic meis inter cetera mandasse, ut pleraque S. Regiae Vestrae Maiestati exponent, quae antequam nuntium Livonicum expeditat, scire illam refert. Itaque [f. 524] officiosissime oro, ut S. Regia Vestra Maiestas benigne eos audiat, vel si occupatior est, quam ut vacare adhuc illis queat, per aliquem alium audiri illos clementer iubeat. Factura in omnibus iis S. Regia Vestra Maiestas rem quovis officiorum genere debitisque obsequiis meis demerendam. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Wilhelm a Fürstenberg (in litteris tamen sermo est de magistro Ordinis Theutonicorum generali).*

2) *Stanislaus Tęczyński.*

3) *Albertus iunior, marchio Brandenburgensis, filius marchionis Casimiri, obiit 8.I.1557 a.*

4) *Ferdinandus I.*

5) *Wolfgangus Schutzbar.*

6) *Sigismundus I.*

Albertus dux in Prussia

*Stanislaw Tęczyński, palatino Cracoviensi,
ei, ad Comitia Imperii [Augustae celebranda] legato designato, commendat
negotium conferenda sibi investiturae feudi Franconici; petit praeterea,
ut consilia et postulationes magistri Ordinis Theutonicorum, ad investitu-
ram super provinciam Prussiae pertinentes, impedire studeat, negotium
vero imperialis banni, nisi ab eodem magistro eius mentio fiat, silentio
praetereat.*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 519-522.

Stanislaw Comiti in Thączin, Palatino Cracoviensi, 15 Ianuarii.

Petit, ut in Comitiis Romani Imperii apud Caesarem¹⁾ et status Imperii
commendatum habeat negotium de investitura provinciae Franciae.
Item negotium banni. Postremo si Ordinis Magistrum²⁾ aliquid postu-
lare animadverterit, ut diluat petitiones illius.

Magnifice ac Generose, Amice et Frater nobis perchare.

Cum renuntiatum nobis esset Magnificentiam Vestram legationi ad S.
Romani Imperii Comitia a S. Regia Maiestate praefectum esse, non potuit
id ipsum [f. 520] auditu nobis esse iucundissimum. Sicut enim Magnificentia
Vestra divinitus praeter alias virtutes suas egregias plurimos ingenio et
prudentia antecellit, rerumque tractandarum peritissima est, ita cum
amplitudine et dignitate S. Regiae Maiestatis provincia obeundae huius
legationis alteri vix rectius committi potuisset. Nos sane pro nostra fra-
terna coniunctione a Domino Deo exoptamus, ut functionem hanc Magni-
ficentiae Vestrae demandatam faustum cumque honore et celebritate eius-
dem coniunctam esse faxit, salvamque et incolumem Magnificentiam
Vestram ducat et reducat.

Quia vero et negotium istic nostrum tractabitur de conferenda nobis
investitura eius provinciae, quae ex morte pie defuncti nepotis nostri, Mar-
chionis Alberti³⁾, ad nos per legitimam successionem devoluta est, amice et
fraterne petimus, ut Magnificentia Vestra nomine et verbis S. Regiae Maie-
statis apud Imperatorem et Imperii Principes diligenter postulata nostra
promoveat, ut quod iure nobis competit, non difficulter consequamur.
Huius autem rei documenta si Magnificentia Vestra desideraverit, poterit
illa ex nuntio in iisdem Comitiis nostro, Generoso Asuero Brand, cognosce-
re. Quem ut Magnificentia Vestra in rebus nostris omnibus consilio et
opera sua iuvet atque etiam illi praesto sit commendatumque habeat,
maiores in modum petimus.

Porro cum Ordinis Teutonici Magistrum Generalem, ut vocant, credi-
bile sit postulaturum esse ab Imperatore investituram super provinciam
Prussiae, confidimus Magnificentiam Vestram (ubi agere hoc illum ani-
madverterit) [f. 521] pro iure inclyti Poloniae Regni conservando, consiliis
et postulationibus illius qua potest prudentia impediendis omnibusque iis,
quae ille in contemptum vel praeiudicium S. Regiae Maiestatis, ut consue-
vit, producturus est, confutandis nihil praetermissuram esse, ita sane, ut si
reprimere omnino conatus illius non poterit, solemnis tamen protestatione
ratione legitimi S. Regiae Maiestatis in has terras dominii utatur. Praete-
rea si intellexerit Magnificentia Vestra eundem Magistrum de proscriptio-
nis decreto contra nos sollicitaturum esse aliquid, et ea quoque in re tam

S. Regiae Maiestatis quam nostras partes diligenter Magnificentiae Vestrae curae fore minime dubitamus. Ubi vero Magnificentia Vestra cognoverit Magistrum nihil horum movere seu moliri, tunc et Magnificentia Vestra silentio haec ipsa praetereat.

Scripsimus quoque ad S. Regiam Maiestatem de his omnibus. Quae tametsi illam sua sponte et pro clementia in nos singulari sua praecogitasse, rationesque ad singula et aptas et appositas, quibus Magnificentia Vestra recte uti debeat, tenere scimus, tamen cum S. Regia Maiestas Sua gravioribus Regni negotiis occupatior sit, quam ut levioribus, non submonita, vacare semper possit, duximus officiosissime hoc nomine eius Regiam Maiestatem et submonendam et rogandam esse, ut instructioni seu mandatis, quae Magnificentiae Vestrae dabuntur, nostra quoque haec adiiciat. Quod non gravatim facturam esse Regiam Maiestatem Suam persuasum nobis habemus. Quicquid autem oneris, laboris, studii seu [f. 522] diligentiae Magnificentia Vestra in rebus nostris administrandis procurandisque suscepit, id eo sumus loco habituri, ut per omnem occasionem fraterne illud demerendo nihil praetermittere nos ac bene se omnia posuisse Magnificentia Vestra intelligat. Quod reliquum est, Magnificentiam Vestram feli-citer valere optamus. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Ferdinandus I.*

2) *Wolfgangus Schutzbar.*

3) *filius Casimiri, fratris ducis Alberti, obiit
8.I.1557.*

N. 4791.

S.l., 15.I.1559.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

litteras eius, 10.XII.1558 a. Cracoviae datas, se acceperisse nuntiat; pro signifi-cata sibi informatione de adversa valetudine reginae Catharinae gratias agit et de salubri eiusdem mutatione gaudet; de testamento reginae opinatur illud multis displiciturum esse; se diligenter curaturum esse scribit, ut cornua alcium et cervorum reginae mittantur; rogat, ut litteras intercessori-as in negotio investiturae [feudi Franconici] sibi conferenda a regina impetraret, quo palatino Cracoviensi [legato ad Comitia Imperii designato] tradantur, qui eas imperatori porrecturus sit.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 374-375.

An Erhart Kunheim, den 15 Januarii 59 etc.

Dein schreiben, Crackau den 10 Decembbris datirt, ist uns worden, des-sen inhalt wir lengicht eingenommen und unnötig zu repetiren achten. Thun uns aber anfenglich vor deine gethane mitteilung der gelegenheit unserer gnedigen frauⁿ¹⁾ schwachheit, und welcher massen es sich gebes-sert, auch der vermeldung des testaments²⁾ und confirmation desselben, sampt wess dem mehr angehenget, in allen gnaden bedancken. Und ist uns die besserung irer mt. schwachheit von grundt unsers hertzens erfreulich,

Gott bittende, er wolle ire mt. mit gnaden lang gesundt fristen und erhalten. Deine entschuldigung, warumb du in erster einfallung der ko.mt. schwachheit uns so langsam geschriben, nehmen wir an. Begern aber gnedigst, du wollest uns jederzeit alle ge – [374v] legenheit zuschreiben, und so du nicht botschaft hast, solchs uff unsfern unkosten.

Wess das testament anlangt, lassen wir in ime ruhen, gleuben wol, es etlichen leuthen in die augen steche. Weil es aber inhalts deines schreibens die gelegenheit hat, ists nicht zu fechten, und kanst du im wenigsten deshalb beschuldigt werden, wie du dann bey uns auch wol entschuldigt bist.

Was die elends- und hirschgeweihe anlangt, wollen wir fleiss haben, das wir unserer g.frauen was hubsch erlangen und schicken mogen. Weil sich auch ire ko.mt. in unser sachen der lehen halben an die key.mt. zu schreiben erbeuth und copien wie zu schreiben begert, uberschicken wir dir, ob wir es wol fast unnötig geacht, inligendt eine copei und begern gnedigst, du wollest ire mt. bitten, das solch schreiben möge gefertigta) und dem woywoden won Krackau³⁾, so er noch nicht gereiset, [f. 375] oder so andere schleunige post verhanden, an die key.mt. mitgegeben werden möge. So aber der woywode verreiset, oder so eilendt keine post verhanden, wollest es uns herschicken, damit wir dasselbe, weil uns daran gelegen, zu bestellen.

Wie wir diss an dich fertigen wollen, kompt uns dein schreiben, donnerstag nach dem Cristtag diss 59 jars⁴⁾, des inhalts wir nach lene zu repetiren, auch weil es fast deinem nehern schreiben gleich, weitleufigt zu beantworten unnötig achten. Bedancken uns allein deiner allenthalben gethanen mitteilung, wess sich bisher zugetragen und der neuen zeitungen. Thust uns daran zu etc.

H. Sten[drich]

a) *sequitur expunctum*: werden

1) *regina Catharina*.

2) *agitur de testamento reginae Catharinae, quod graviter aegrota autumno a. 1558, praesentibus oratoribus Ferdinandi I, conscribi fecit.*

3) *Stanislaus Tęczyński, palatinus Cracoviensis, orator regis Poloniae ad Comitia Imperii designatus (sed nunquam in Germaniam profectus).*

4) *id est: 28.XII.1558.*

N. 4792.

S.l., 17.I.1559.

*Albertus dux in Prussia
Catharinae reginae Poloniae
litteras eius, 10.XII.1558 a. datas, se accepisse nuntiat; de meliore valetudine
eius gaudet; censem tanta gratiarum actione pro doloris sui declaratione,
pro vinis missis et depicta sui imagine opus non fuisse; pro parata et pro-
pensa voluntate negotium conferendae sibi investiturae feudi Franconici
apud imperatorem promovendi gratias agit et formam litterarum ad impe-
ratorem scribendarum mittit.
Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 375-376.*

An die konigin zu Poln etc., den 17 Januarii 59 etc.

[f. 375v] Gnedige frau.

E.Ko.Mt. schreiben, Crackau den 10 Decembris datirt, habe ich mit geburender reverenz empfangen und mit freuden daraus E.Ko.Mt. bessierung irer schwachheit sampt fernerm inhalt verstanden. Wie hoch nun mich die schwachheit E.Ko.Mt. (des ich mit Gott zeuge) erschrecket, also hoch und vil mehr hat mich erfreuet, das ich die zeit wider erlebt, do ich E.Ko.Mt. als meiner g.frauen und geliebten muhmen besserung gehort und sonderlich unter disem irem schreiben ire ko. eigene handt mit meinen augen sehen mögen, den hern aller barmhertzigkeit kindlich anrufende und bittende, er wolle E.Ko.Mt. der gantzen Chron und derselben zugehörigen landt, sonderlich mir und den meinen zu trost, lang gesunt und wolmögende fristen und erhalten. Gegen mir aber wehre der hohen ko. dancksagung vor gehabtes mitleiden und ersuchen, in gleichen fur unser erbieten der weine [f. 376] halben, und ubersendung des contrafект nicht notig, dann wes disfals von mir geschehen, ist aus schuldiger pflicht und besonderer treu hergeflossen. Und bin alles desjenige, wess E.Ko.Mt. gefellig sein mag, unverdrossen und von grundt meines hertzens zu thun geneigt und willig.

Ich bedanck mich aber E.Ko.Mt. hohen erbietung und ersuchung, sonderlich das sie meine sache der lehen halben, die bey der key.mt.¹⁾ uf die lande in Francken suchen lassen, so gnedig meinen und gerne befördern wollen, zum underthenigsten. Ob ich nun wol von unnothen g[e]achtet, E.Ko.Mt. formam, wie sie an die key.mt., irer mt. g. hern vattern, desfalls schreiben möchte, vorzustellen, jedoch weil es E.Ko.Mt. so haben wollen, hab ich an Erhartens Kunheim einen ungeferlichen begrif geschickt, und bitte underthenigst, E.Ko.Mt. uff die oder ein andere forma an hochgedachte key.mt. schreiben und zum kindlichsten bitten wolle, das mir die lehen gelihen mogen werden. Das bin ich etc.

H[einrich] Sten[drich]

1) *Ferdinandus I.*

N. 4793.

S.l., 18.I.1559.

Albertus dux in Prussia

palatino Cracoviensi [Stanislaw Tęczyński]

*ad Comitia Imperii oratori designato faustum iter in Germaniam exoptat et
rogat, ut negotia sua, de quibus in prioribus litteris scripserat (cfr. N.
4790), sibi commendata habeat; Horatium Curionem itineris comitem
libenter ei adiungit; litteras commendaticias pro Christophoro Fortenbach
ad Georgium Fridericum marchionem Brandenburgensem mittit.*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 524-525.

Palatino Cracoviensi, 18 Ianuarii.

Petit negotia sibi velit in Comitiis commendata haberi. Adiungit illi Horatium Curionem. Mittit equum. Commendat negotium Fortenbachiorum nepoti ex fratre, Domino Georgio Friderico Marchioni Brandenburgensi.

Magnifice ac Generose, Amice et Frater nobis perchare.

Cum paucos ante dies, quam hic Magnificentiae Vestrae servitor huc advenisset, perlatum ad nos esset Magnificentiam Vestram a S. Regia Maiestate ad S. Romani Imperii Comitia¹⁾ oratorem designatum esse, freti amica et fraterna coniunctione nostra per literas ad illam nostras petivimus, ut quaedam negotia in iisdem Comitiis nostra procuranda benigne susciperet. Nunc cum a Magnificentia Vestra idem nobis significetur atque ipsa suam nobis operam ultro et peramanter deferat, optamus, ut profectio haec Magnificentiae Vestrae cum incolumi valetudine rebusque ex sententia omnibus confectis atque adeo omni ex parte sit felicissima. Iterum atque iterum autem fraterne Magnificentiam Vestram oratam habemus, ut quae priores nostrae habent literae commendata sibi esse velit. Rem nobis factura longe gratissimam ac mutuo gratificandi studio compensandam.

Quod vero ad servitorem nostrum Horatium Curionem attinet, liberum Magnificentiae Vestrae erit, ut illum itineris comitem accipiat. Is enim noster est in Magnificentiam Vestram amor, ut nullus ex servitoribus nostris tam nobis sit charus, quem non ad obsequia Magnificentiae Vestrae paratissimum esse [f. 525] velimus. Quia vero ad eam profectionem rebus quam plurimis Magnificentia Vestra opus est habitura, duximus ad recollendam subinde nostri memoriam (tametsi illam nunquam evanescere scimus) Magnificentiae Vestrae cum servitore hoc nostro equum mittendum esse. Hunc ut Magnificentia Vestra pro qualicumque saltem nostrae in illam fraternalae propensionis contestatione accipiat, amanter petimus. Elengatiorem libenter Magnificentiae Vestrae missemus, sed propter expeditionem Livonicam nunc eorum copia apud nos est perexigua. Speramus tamen eundem satis ferocem, alacrem et ad vehendam Magnificentiam Vestram convenientem fore.

Negotium Christophori Fortenbach nepoti ex fratre nostro, Domino Georgio Friderico Marchioni Brandenburgensi, per literas commendamus, quas cum hoc Magnificentiae Vestrae servitore mittimus. Quod superest, Magnificentiam Vestram feliciter valere exoptamus. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Augustae celebranda.*

N. 4794.

S.l., 18.I.1559.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
pro servitore suo Hieronymo Ehwalt intercedit et rogat, ut eum regi commen-
det, quo litteras immunitatis cuiusdam ei renovare velit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 525-526.

N. 4795.

S.l., 19.I.1559.

Albertus dux in Prussia

*episcopo Chelmensi [Iacobo Uchański]
Hieronymum Ehwalt, servitorem suum, commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 526.

N. 4796.

S.l., 19.I.1559.

Albertus dux in Prussia
Horatio Curioni

*de salvo eius una cum collegis Petricoviam adventu gaudet et faustum ad se
reditum ipsi exoptat; liberum ei facit, ut se palatino Cracoviensi [Stanis-
lao Tęczyński] comitem viae adiungat; eidem palatino equum, quem peti-
verat, dono mittit; rogat, ut negotia sua palatino commendet.*

(Latine)

Cfr. El. L, N. 578.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 526-527.

N. 4797.

S.l., 20.I.1559.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Kurtzbach (Korzbok), decano Gnesnensi, canonico Cracoviensi,
pro clementia nepti eius exhibita tanta gratiarum actione opus non fuisse
nuntiat; promittit, si neptis eius secundas nuptias contrahere velit, eum
de hoc certiorem reddere.*

(Latine)

Cfr. El. XL, n. 1669.

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 527.

N. 4798.

S.l., 29.I.1559.

Albertus dux in Prussia

*Martino Zborowski, palatino Posnaniensi,
doctorem Christophorum Jonam, consiliarium et nuntium suum, commendat
et rogat, ut ei plenam fidem habeat et in omnibus adiumento sit.*

(Latine)

Cfr. El. XL, n. 2681.

Ostpr. fol., vol. 55, ff. 527-528.

N. 4799.

S.l., 31.I.1559.

Albertus dux in Prussia
reginae Angliae [Elisabeth]

*ei, "ad culmen reginalis gubernationis Angliae" evectae felix imperium exop-
tat et precatur, "ut in primis ad gloriam nominis divini propagandam,
ad Ecclesiae Christianae aedificationem, denique ad salutem multo-
rum, viam veritatis evangelicae exspectantium, cedat"; Gulielmum
Barlow, "Botheniensem et Vellensem episcopum, propter orthodoxam*

religionis christianaee professionem Angliae regno pulsum", *apud se commoratum et nunc in patriam redeuntem, litterarum latorem, commendat.*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 528-530.

N. 4800.

S.l., 5.II.1559.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Hegemoni, armifactori regio,
litterae credentiales pro Bernardo Pohibel ("Ist eine gemeine credentz uff Pohubeln gestelt und ausgangen").

(*Germanice*)

Ostpr. Fol., vol. 45, f. 376v.

N. 4801.

S.l., 8.II.1559.

Albertus dux in Prussia

senatui Mlavensi

contra quendam nomine Bukowski, servitorem Ioannis Frankonowski, "scelestati illius hominis, qui nostris subditis non modo hostiles inimicitias denuntiavit, sed etiam incendio non ita pridem grassatus est", in civitate Mlawa latitatem; rogat, ut eum, heri sui nefarii facinoris consciuum et complicem, carceri mancipandum current.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 547-548.

N. 4802.

S.l., 10.II.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

filium adolescentem Henrici Foller, armamentarii sui praefecti, quem etiam in re armamentaria non vulgariter profecisse scribit, commendat et petit, "ut ad excolendam eam professionem et pro maiore cognitione eiusdem recte ad ea loca, ubi crebro exercitium eiusmodi in usu est", se conferre possit.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 530-531.

N. 4803.

S.l., 10.II.1559.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Łaski, incisori regio,

*scribit se nihil usque adeo egregium in eum contulisse, quod tantum encōmīum mereatur; equum Frisium ab eo desideratum se ei mittere non posse nuntiat, cum "ab eo tempore, quo copta est expeditio Livonica", mul-
tos eiusmodi equos dono dare coactus sit; eius loco equum ex stabulo suo selectum mittit; negotium Vincentii Ruszkowski (Rauschki) propter inter-
cessionem eius sibi commendatum fore pollicetur.*

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1676.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 531-532.

N. 4804.

S.l., 13.II.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*de adversa regis valetudine dolet; pro equis gradariis sibi dono missis, "per se
venustate et elegantia praestantibus, maioris tamen significationis et
regiae in se clementiae indicibus", reverenter gratias agit; ipse vicissim
equos aliquot regi mittit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 533-535.

N. 4805.

S.l., 13.II.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*refert de miserando statu Livoniae, ab hostibus [Moscovitis] oppressae, et
petit, ut illi celeriter succurrat et auxilia implorata subministret, ne et
Regno Poloniae periculum inde oriatur.*

Cfr. EL. XXXI, N. 768.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 535-536.

Regi Poloniae, 13 Februarii.

Scribit de miserando statu Livoniae ac orat, illi auxilio velit esse.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrine Charissime.

Quo in discrimine versetur Livonia ex rebus in ea non ita pridem cru-
deliter gestis, quae in scripto hisce inclusio habentur, S. Regia Vestra Maie-
stas intellectura est. Quia vero dubium mihi non est S. Regiam Vestram
Maiestatem ex suis quoque haec et pleraque alia cognoscere, tamen ut S.
Regiae Vestrae Maiestati qualemcumque vigilantium meam et officii mei
debitum tester,mittenda haec illi esse duxi. Etsi autem plane confido S.

Regiam Vestram Maiestatem, calamitate christianorum hominum, praesertim eorum, qui protectioni S. Regiae Vestrae Maiestatis commendati sunt, adductam, Regem se illis et vicinum et Principem christianum praebitaram esse, neque commissuram, ut hostis immanissimus¹⁾ depopulando et praedando provinciam illam tam horribiliter devastet, aut nullo resistente eam potestati suae subiiciat finesque suos cum detimento aliorum longe lateque promoveat, tamen vicinorum commiseratione motus praetermittere non potui, quin maiorem in modum S. Regiam Vestram Maiestatem orarem, ut laboranti provinciae illi clementer [f. 536] celeriterque succurrat atque implorata auxilia subministret, ne si incendium hoc ita de die in diem creverit, parietes quoque S. Regiae Vestrae Maiestatis et meas urere incipiat, nimisque serum sit tunc ad restinguendum expurgiscere.

Factura itaque S. Regia Vestra Maiestas rem piam, si in cervices, res et fortunas christianorum grassantem hostem consilio, ope et opera sua represserit. Quod ut S. Regiae Vestrae Maiestati factu perfacile est, ita illi sempiternam gloriam pariet nominique suo magnum splendorem in toto Orbe Christiano afferet. Si quid per me quoque huic malo avertendo praestari poterit, in eo, quantum rationes meae qualescumque ferunt, id facturus sum, quod quemvis facere ipsa pietas in tali casu postulat. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati officiosissime significanda esse duxi. Cui me meaque omnia deditissime commendo illamque feliciter valere exopto. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *in mente habet m. ducem Moscoviae Ioan-*
nem IV Basiliudem, Livoniam adortum.

N. 4806.

S.l., 13.II.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae
litteras archiepiscopi Rigensis mittit et rogat, ut afflito ab hoste archiepisco-
patui et toti provinciae Livoniae, abruptis cum Mosco induitiis, auxilio
veniat.

Cfr. El. XXXI, N. 768.

Ostrpr. Fol., vol. 55, ff. 536-537.

Regi Poloniae, 13 Februarii.

Mittit litteras Archiepiscopi Rigensis¹⁾ et orat pacis industias cum Moscho²⁾ renuntiari et Livoniae contra hostem iuvare.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrini Charissime.
Obsignatis iam literis hisce, allatae sunt ad me Reverendissimi Archiepiscopi Rigensis, fratris mei charissimi, litterae, praesentem Livoniae statum continent. Quas S. Regiae Vestrae Maiestati descriptas mitto, Latine propter celeritatem reddi non potuere. Tametsi probe S. Regiam Vestram Maiestatem contenta earum intellecturam esse scio, quia vero inde et afflictas Livoniae res et quid Reverendissimus frater meus per me S. Regiam Maiestatem Vestram rogari petat, perspicet, nempe ut S. Regia

Vestra Maiestas Moscho pacis indutias renuntiare dignetur, propterea quod violatas ab eo esse illas manifestum sit [f. 537] in eo, dum archiepiscopatum Rigensem et necessarium Principem, protectioni S. Regiae Vestrae Maiestatis commissum, vi et armis invaserit, praedando depopulandoque terras archidioecesis devastaverit, facere pro fraterna coniunctione non potui, quin preces eiusdem fratris mei ad S. Regiam Vestram Maiestatem deferam. Quam pro singulari sua prudentia, proque iure protectorio et arcta propinquitate non passuram esse confido, ut hostis immannissimus provinciam eam ita perdat et incendio praedandoque terris S. Regiae Vestrae Maiestatis horrorem et periculum praesentissimum afferat, proque dominandi libidine, quando opportunum sibi videbitur, eo in invadendas illas iure utatur, quo Livoniā misere nunc depopulando solo aequat. Sapienter itaque S. Regiam Vestram Maiestatem, cum sit rerum futurarum et impendentium provida, haec secum examinaturam esse confido. Qua in re non tam laboranti fratri meo eiusque archidioecesi, verum et suae S. Regia vestra Maiestas suorumque saluti consultura est. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Gulielmus, marchio Brandenburgensis.*

2) *Ioannes IV Basilides, m. dux Moscoviae.*

N. 4807.

S.l., 13.II.1559.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Ocieski, R.P. cancellario,

se ex internuntiis suis ad regem missis intellexisse scribit eum legatum [una cum Stanislaw Tęczyński, palatino Cracoviensi] ad Comitia Imperii [Augustae celebranda] designatum esse nuntiat et negotia sua in illis promovenda ei commendat ac rogat, ut Assuero Brandt, suo in iisdem Comitiis oratori, una cum collega suo [Stanislaw Tęczyński] praesto sit.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 537-539.

Ioanni Oczieksi, Supremo R.P. Cancellario, 13 Februarii.

Ignosci, quod non scripserit, orat et commendat sua negotia in Comitiis¹⁾ tractanda.

Magnifice ac Generose, Amice nobis singulariter dilecte.

Etsi pro amicitia nostra nos iam pridem decuissest Magnificentiam Vestram nostris visere literis, eique ad eam, cui est designata, legationem²⁾ fausta feliciaque omnia precari, amanterque illi negotia quaedam nostra committere, tamen cum hisce primum diebus ex internuntiorum illic nostrorum literis cognovissemus munus obeundae eius legationis Magnificentiae Vestrae iniunctum esse, amice petimus, ut hanc [f. 538] negligentiam nostram ex ignorantia profectam ignoscat, deque amore in nos suo nihil remittat. Quia vero iidem internuntii nostri nobis significarunt, quanto studio, fide et diligentia Magnificentia Vestra nostra sibi negotia apud S. Imperatoriam Maiestatem³⁾ et S. Romani Imperii Principes se procuraturam receperit, facile perspicimus ex singulari haec Magnificentiae in nos Vestrae multis iam pridem argumentis probe cognita animi propen-

sione proficisci. Magnas itaque atque eas, quas par est, Magnificentiae Vestrae pro hac benevolentia agimus gratias, daturi operam, ut mutuo id amore aliquando compensemus.

Quod ad profectionem Magnificentiae Vestrae attinet, eam illi faustum atque omni ex parte honorificam, S. autem Regiae Maiestati inclitoque Poloniae Regno non minus utilem quam salutarem fore precamur. Deus autem Optimus Maximus Magnificentiam Vestram cum Domino collega suo⁴⁾ incolumem ducat et reducat. Etsi autem, quae sint ea negotia, quae per operam Magnificentiae Vestrae iuvanda erunt, ex Doctore Christophoro Jona, internuntio nostro, intellexisse Magnificentiam Vestram minime dubitamus, repetitione illarum Magnificentiae Vestrae, maioribus occupatiiori, molesti esse noluimus. Quod si tamen ipsa quid in iis desideraverit, ad manum erit Magnificentiae Vestrae orator in iisdem Comitiis Imperii noster, Asuerus Brandt, quem non modo Magnificentiae Vestrae commendamus, sed praesto illi ut sit Magnificentia Vestra cum suo collega, maiorem in modum petimus. Horatius Curio, servitor noster, qui cum Magnifice Domino Palatino Cracoviensi proficiscitur, negotiorum apud Magnificentiam Vestram nostrorum sollicitator erit, eum ut sibi quoque commendatum habeat, amanter oramus.

Pluribus haec a Magnificentia Vestra contenderemus, [f. 539] nisi probe cognitus perspectusque nobis esset illius candidus et sincerus in nos amor et animus. Quo itaque maiore negotia nostra studio Magnificentia Vestra promovet, eo nos sibi debitorem reddit devinctiorem, sic sane, ut in compensando et vicissim contestanda gratitudine nostra Magnificentia Vestra rem verbis respondentem per omnem occasionem expertura sit, beneque omnia, quae in nos contulit, beneficia se posuisse intelligat. Quod reliquum est, Magnificentiam Vestram feliciter valere salvumque illi ad suos reditum toto pectore exoptamus. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Comitia Imperii Augustae indicta.*

2) *Ioannes Ocieski et Stanislaus Tęczyński, pal. Cracoviensis, oratores ad Comitia Augustana designati erant, proiectio tamen eorum in Germaniam ad effectum nunquam est adducta.*

3) *Fedinandus I.*

4) *Stanislaus Tęczyński mense Octobri a. 1558 ad Comitia Imperii orator designatus, sed nunquam Augustam proiectus (cfr. El. XL, NN. 1666, 1722).*

N. 4808.

S.l., 13.II.1559.

*Albertus dux in Prussia
Nicolao Trzebuchowski, cubiculi regii praefecto,
intercedit pro Vincentio Ruszkowski (Rausky), subdito suo et regio servitore,
annuum stipendium a rege petituro, er rogat, ut auctoritate sua negotium
eius apud regem ita provehat, quo voti compos efficiatur.
(Latine)*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 539-540.

S.l., 15.II.1559.

*Albertus dux in Prussia**Stanislao Lutomirski, verbi ministro,*

excusatione eius diurni silentii causa ad se opus non fuisse censem; pro sermone, a legato regio cum Turcarum bassa de successore regis Poloniae habito, sibi communicato gratias agit, sed de proposito Turcarum imperatoris dolet; de voce Evangelii in Polonia publice sonante gaudet; contentionem nobilium cum Episcopis in articulo eligendi regis sibi non ingratis esse nuntiat; in Ioannem Łaski se non alieniore animo factum esse affirmat, sed eum tantum admonuisse, "ut rationem suam in divinis rebus... non ut magistrum sequeretur, sed potius captivam duceret...".

(Schedula: rogat, ut librum quendam Ioanni Łaski a se commodatum ab eo repeatat).

Cfr. El. XL, N. 1677.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 540-544.

Stanislao Lutomirski, 15 Februarii.

Scribit excusatione diurni silentii opus non fuisse. Gratias agit pro communicato sermone de Turcarum Bassa¹⁾ ratione successoris Regni Poloniae. Gratulatur vocem Evangelii in terris Poloniae late sonare. De contentione nobilium cume Episcopis in eligendo Rege etc. De Ioanne a Lasko, quod hic iniuriosis verbis non proscindatur.

Venerande ac Generose, nobis sincere dilekte.

Literas Venerandae Generositatis Vestrae, 26 Ianuarii scriptas, accepimus et legendō omnem earum sensum probe intelleximus. Quod ad excusationem silentii diurni Venerandae Generositatis Vestrae attinet, ea ad nos opus non fuisset. Praeterquam enim quod se valetudinarium fuisse scribit, facile iudicare possumus gravioribus quoque negotiis occupatiorem esse, quam ut multis scriptioribus vacare semper possit. Tametsi ipsi quoque per aliquot menses affecta fuerimus valetudine praediti, quae auxiliante Deo nunc melius aliquanto habere cepit.

De sermone eo, quem legatus regius²⁾ cum Turcarum Bassa de successore Poloniae Rege habuit, nobis communicato, gratias Venerandae Generositati Vestrae magnas agimus, tametsi dolenter cognovimus Turcae³⁾ propositum, ac sane nollemus libertatem incliti Poloniae Regni truculenta eiusmodi violentia labefactari. Sed cum in manibus Dei posita sint omnia, cuius dextera vitam et spiritum tam superioris quam inferioris ordinis hominum claudit, quique, prout ei visum est, imperia mutat et gubernat, is orandus est, ut salutarem eius Regni administrationem, cum pace et tranquillitate coniunctam, conservet protegatque, Regemque hunc et Dominum nostrum clementissimum in seros adhuc annos nobis superstitem esse velit et pro [f. 541] paterna sua misericordia (quoniam ea, quae homini impossibilia sunt, facile praestare potest) prole non una, sed numerosa S. Regiam Maiestatem Suam fecundet.

Quod vox Evangelii frequentibus auditoribus publice illic sonat, iucundissimum nobis fuit auditu. Faxit Deus, ut ad gloriam nominis sui propagandam longe lateque spargatur et in laetam piorum messem excrescat.

De contentionē nobilium cum Episcopis in articulo eligendi Regis, deque praestando in posterum ab illis non Pontifici, sed Regi iuramento, nobis communicata ac cognitu non ingratis fuerit²⁾. Optamus autem omnes eius Regni ordinum tractatus Spiritu Sancto regi, ut Regno illi sint salutariaz.

Quod Generositas Vestra in epilogo literarum suarum annexit se vehementer dolere Reverendum et Magnificum Dominum Ioannem a Lasko sicophantarum morsibus apud nos impugnatum esse, ad haec latere Venerandam Generositatem Vestram nolumus, etsi aestate superiori pleraque ad eundem Dominum a Lasko, sicut ad nos non vanis autoribus perlata tum erant, scripsimus, non tamen id eo a nobis factum est animo, quod omnino ea sic se habere de eius Reverenda Dominatione suspicati sumus, sicut id nostrae ad illum literae testantur, ubi in epilogi earum amanter petimus, ne scriptionem illam eo interpretetur, quasi alieniores ab illo facti essemus. Cum enim virum illum et constantem et prudentia non vulgari praeditum esse perspexerimus, non facile nos adduci patiemur, ut levitatis apud nos illi nota [f. 542] aliqua aspergatur. Itaque quae ad Reverendam illius Dominationem tum perscrispimus, non expostulandi, sed narrandi animo profecta sunt, clementi petitione adiecta, ut Reverenda Dominatio Sua salutari consilio nostro ei hic dato acquiesceret, nempe ut rationem suam in divinis rebus, captum humanum excedentibus, non ut magistrum sequeretur, sed potius captivam duceret summaque animi contentione incumberet, ut Ecclesia Polonica uniformis fieret cum iis, quae Augustanam, ut vocant, confessionem amplectuntur, ut ita una sit Ecclesia sub uno capite et doctore Christo. In quo ut Veneranda Dominatio Vestra suam quoque operam omnem conferat (sicut facere illam confidimus), nihil sane gratius Deo, nec alia via certius ac melius praestare communi patriae suae inservire poterit. In quo et nos, quantum rationes nostrae ferrent, promovendo id facturi sumus, quod eos, qui Christi Regnum amplificatum cupiunt, facere convenient. Atque haec Venerandae Generositati Vestrae rescribenda esse duximus. Quam clementer rogatam habemus, ut confessionem, quam se nobis missuram recepit, per primam occasionem mittere ne gravetur, Reverendum quoque virum, Dominum Ioannem a Lasko, nostris verbis amanter salutet clementiamque illi nostram deferat. Quod superest, Venerandam Generositatem Vestram feliciter valere exoptamus. Datae.

Cedula

Ceterum latere Reverendam Generositatem [Vestram] nolumus commodato nos hic dedisse Reverendo Domino Ioanni a Lasko librum quendam. Quia vero eo nunc [f. 543] indigemus, clementer cupimus, ut Veneranda Generositas Vestra illum ab eius Reverenda Dominatione repeatat nobisque per primum aliquem nuntium transmittat. Factura Veneranda Generositas Vestra rem nobis grata. Datum.

A[ndreas] M[untzer]

z) *sic in ms.*

2) *Andreas Bzicki, cast. Chelmensis, a. 1558 ad imperatorem Turcarum legatus.*

1) *Rustan Bassa (cfr. El. XL, N. 1677).*

3) *Solimanus II.*

N. 4810.

S.l., 17.II.1559.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Łaski

ipse priori sanitati omni ex parte nondum restitutus, eum quoque valetudinarium salutat et nova sibi communicari petit; rogat, ut "in Polonia collectae Ecclesiae confessionem" sibi mittat.

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 543.

Ioanni a Lasko, 17 Februarii.

Scribit de valetudine corporis et orat, ut Confessionem Ecclesiae in Polonia mittat.

Reverende ac Magnifice, Amice nobis singulariter dilecte.

Cum nuntius a nobis Petricoviam mitteretur, facere non potuimus, quin Reverendam Magnificentiam Vestram eiusque valetudinem literis nostris viseremus. Nos sane per aliquot iam menses infirmitate corporis satis acri laboravimus. Et quia priori sanitati omni adhuc ex parte restituti non sumus, Reverendam quoque Magnificentiam Vestram subinde valetudinariam esse scimus, itaque aegroti aegrotum visimus amanterque petimus, ut quomodo se nunc Reverenda Magnificentia Vestra habeat et quis sit Regni Poloniae status, quidve agatur, quantum scire nobis licet, perscribere ad nos ne gravetur.

Praeterea cum Reverenda Magnificentia Vestra receperit se nobis noviter in Polonia collectae Ecclesiae confessionem per primum aliquem nuntium missuram esse, percuperemus illam ad nos mitti. Factura Reverenda Magnificentia Vestra rem nobis gratissimam et veteri nostro in eandem amorem compensandam. Quod reliquum est, Reverendae Magnificentiae Vestrae prosperam valetudinem eamque diuturnam a Deo Optimo Maximo exoptamus. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

N. 4811.

S.l., 18.II.1559.

Albertus dux in Prussia

Christophoro N., capitaneo Bransensi (Branski),

pro Bartholomaeo Lupinsky, parocho districtus Ortelsburgensis, qui asseverat
“devolutam esse ad se iure successionis naturalis hereditatem quan-
dam”, sub praefectura eius sitam (quae tamen ipsi denegatur, “propterea
quod is sacrificum seu parochum in Ducatu nostro agit et non papisti-
cae religionis est”), intercedit et rogat, ut huic “ecclesiae pastori”, tan-
quam vero et legitimo heredi, eam hereditatem tradi mandet.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 543-544.

N. 4812.

S.l., 19.II.1559.

Albertus dux in Prussia

Stanislaw Skaszewski, capitaneo Jurborgensi et Bothocensi,

*excusatione diuturni eius silentii opus non fuisse scribit et afflictam eius vale-
tudinem compatiendo dolet; de praefectura Jurborgensi in eum collata
gratulatur; pro perdicibus sibi missis gratias agit.*

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1682.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 544-545.

N. 4813.

S.l., 27.II.1559.

*Albertus dux in Prussia
palatino Masoviae [Stanislao Ławski]
Balthasarem Sturmer, subditum suum, ei commendat et rogat, ut in negotio
quodam expediendo eum adiuvet.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 545-546.*

N. 4814.

S.l., 1.III.1559.

*Albertus dux in Prussia
Martino Zborowski, palatino Posnaniensi,
Casparem a Lehendorff, consiliarium suum et capitaneum Ilaviensem, ad eum
mittit et rogat, ut ei nomine suo quaedam referenti plenam fidem habeat.
(Latine)
Cfr. El. XL, N. 1687.
Ostpr. Fol., vol. 55, f. 546.*

N. 4815.

S.l., 1.III.1559.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Zborowski, palatinidi Posnaniensi,
rogat, ut negotium, cuius causa nuntium suum ad parentem eius [Martinum
Zborowski] mittit, apud patrem suum ita promoveat, quo voti compos
fieri queat.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 546-547.*

N. 4816.

S.l., 9.III.1559.

*Albertus dux in Prussia
Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,
excusat se, quod multis oneratus negotiis ad litteras eius, 2.II. Cracoviae
datas, manu propria respondere non possit; de bona valetudine reginae
gaudet; pro novis secum communicatis gratias agit et rogat, ut etiam in
posterum, si aliquid novi cognoverit, praecipue de Tartaris et Moscovitis,
sibi diligenter perscribat et operam suam apud regem interponat, "damit
unser geliebter bruder, der her erzbischof, sampt andern stenden zu
Eifflandt in itziger muscowitterschen bedruckung nicht unterlassen".
(Germanice)
Cfr. El. XLIII, N. 211.
Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 376v-377.*

N. 4817.

S.l., 15.III.1559.

Albertus dux in Prussia

capitaneo Maioris Poloniae [Janussio Kościelecki]

pro subdito suo, Friderico burggravio a Dohna, cui Iudeus quidam Posnaniensis negotium facessit, intercedit et rogat, ut subdito suo ius contra Iudaeum petenti indilatam iustitiam administret.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 550-551.

N. 4818.

S.l., 17.III.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Wolfgango Nimptsch, servitore regio, subdito autem suo, qui cum regis nomine et iusu Generoso Iobo Bretfass (vel Breitfuss), burggravio Vilnensi, rationes referre debeat accepti et expensi, veretur, ne hoc sibi fraudi sit, quod ex quadam ferri specie, quam Osemundt vulgariter appellant, ferreos globos et pilas... fabricandas curavit", intercedit et rogat, ne hoc nomine in reddendis rationibus contra aequitatem prematur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 551-553.

N. 4819.

S.l., 20.III.1559.

Albertus dux in Prussia

regi Galliae [Henrico II]

Ioannem Zborowski, palatini Posnaniensis filium, in aula sua a puero versatum, nunc vero regi Galliae servitia sua offerre cupientem et propterea in Galliam proficiscentem, commendat et rogat, ut eum "in numerum servitorum suorum adscribi curet sicque eius opera in negotiis regiis, quibus idoneus esse videbitur, utatur, ut postmodum... et Regiae Vestrae Celsitudini et Serenissimo Regi suo Poloniae eo melius, utilius, maiore cum fructu et dignitate servire possit".

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 553-554.

N. 4820.

S.l., 23.III.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

litteras regis, quibus Valentimum Backfarck, musicum, sibi commendavit, ab eodem musico regio sibi redditas esse nuntiat; artem musicam eiusdem

laudat ("fuit autem eius adventus eo mihi gratior, quod divina mediante gratia per artem ipsius et dulcem musicam in adversa mea valetudine nonnihil recreatus et aegritudine quodammodo levatus sum... Est enim eiusmodi musicus, cui in arte alias vix comparandus, qualisque non facile cuivis regi contingere solet"); gaudet, quod ei rex "bona quaedam et possessiones ad vitae suae annos clementer donarit et concederit", et rogat, ut eiusmodi bona in ipsum et eius heredes here-ditario iure conferantur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 555-556.

N. 4821.

S.l., 24.III.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

suadet, ut rex aliquem ex consiliariis suis rerum usu et auctoritate praestan-tem marscalco Livoniae [Caspari a Münster] adiungat et eum in Livo-niam mittat, qui non solum marscalci negotium diligenter tractaturus sit, sed etiam omnes ordines et status Livoniae ad concordiam inter se servan-dam et hostem depellendum hortaturus.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 556-559.

Regi Poloniae, 24 Martii.

Consultit, ut S. Regia Maiestas aliquem in negotio Marschalchi Livo-niensis¹⁾ praestantem authoritate virum in Livoniam mittat, qui diligenter negotium tractet omnesque ad depellendum hostem concordes hortetur, ostendo periculo, quod occupata Livonia hisce terris immi-neat.

Serenissime Rex etc.

Posteaquam intellexi nuntios Livonicos apud S. Regiam Maiestatem Vestram nondum absolutos expeditosve commorari, facere non potui, quin his meis literis S. Regiam Maiestatem Vestram de negotio provincialis Marschalci Livoniae subdite commonefacerem, vehementer et submisso petens, S. Regia Maiestas Vestra id non [f. 557] aegre ferre, sed in meliorem mihi partem interpretari dignetur. Evidem S. Regiam Maiestatem Vestram officiose celare non possum mihi omnino consultum videri, ut in his rerum difficultatibus, quibus provincia Livoniensis tantopere laborat et grassante immanissimo hostile extremis periculis exposita est, Marschalcus idoneis verbis persuadeatur, ut nunc, salvo conductu accepto, primo quoque tempore se in Livoniam conferat. Non enim dubium est mihi, quin is sua praesentia et hostibus alicui^a) terrori et miseri ac perturbatis incolis non exiguo praesidio sit futurus. Dignabitur autem S. Regia Maiestas Vestra Domino Marschalco aliquem ex consiliariis suis, prudentia, rerum usu et authoritate praestantem virum, qui se hominum moribus accommo-dare et mentes eorum quolibet flectere norit, adiungere. Qui non modo causam Marschalci apud Dominum Magistrum²⁾ et ordines Livoniae

magna diligentia, gravitate et industria agat, idque obtinere in primis contendat, quod Dominus Magister S. Regiae Maiestati Vestrae de Marschalci honesta provisione coram recepit atque pollicitus est, verum etiam qui omnes status et ordines primum ad concordiam inter se mutuam alendam et arctissime conservandam, deinde etiam ad constantiam, fidem et magnanimitatem, adeoque ad fortiter ac intrepide contra communem hostem agendum gravi [f. 558] et idoneo sermone hortetur atque pelliciat. Ad eam rectius conficiendam poterit etiam S. Regia Maiestas Vestra his legatis Livonicis³⁾, adhuc istic praesentibus, mandata dare.

Praeterea S. Regiam Maiestatem Vestram subdite celare nolo mihi ab hominibus fide dignis relatum esse, quod Dominus Coadiutor Magistri Livoniensis⁴⁾ cum aliis commendatoribus iam in itinere est et ad S. Regiam Maiestatem Vestram legatus proficiscitur. Cui similiter S. Regia Maiestas Vestra negotium Domini Marschalci recte commendare poterit. Nam si hac vice et hoc quidem tempore in causa Marschalci agenda et constituenda negligetur occasio, verendum est, ne posthac etiam graviore studio, diligentia et labore res tentata, parum tamen prospere succedat. Recte etiam S. Regia Maiestas Vestra (cui tamen modum praescribere non praesumo) pro meo exiguo captu facerit, si ei, quem Marschalco adiungendum putabit, alia quaeviis mandata tradet, nempe ut de provinciae defensione (quam S. Regiae Maiestati Vestrae magnis de causis non negligendam suadeo) cum Magistro et statibus agat, certisque rationibus cum iis statuat et transigat, siquidem nunc praesentes legati Livonienses plenam potestatem id statuendi fortassis non habent, praeterea ut omnes et singulos cuiusvis conditionis homines bono et forti animo esse iubeat et S. Regiae Maiestatis Vestrae auxilium ipsis affuturum promittat. [f. 559] Quod etiam (quia fama est de Moscho⁵⁾, quod Tartaros gravi clade affecerit et profligarit) non diu differendum, sed in tempore praestandum existimo.

Haec pro debita mea fide, officio et observantia S. Regiae Maiestati Vestrae significanda duxi, ac spero apud S. Regiam Maiestatem Vestram me clementer excusatum fore, quod non levibus de causis tantopere de Livonibus sum sollicitus. Facile enim quivis rem pressius considerans et expendens videbit, quam plena res sit periculi, si (quod Deus omen avertat) Moschus Livonię, harum terrarum quasi propugnaculum, occupet ac in suam potestatem redigat. Quod ne fiat, S. Regiae Maiestati Vestrae omnimodo ratione et viribus consulendum et hosti renitendum censeo, petoque iterum obnixe ac vehementer, ne S. Regia Maiestas Vestra haec aliter quam ex debita fidelitate et sollicitudine mea scripta esse existimet. Cui porro me, mea studia et officia debita subdite commendo. Christus omnipotens S. Regiam Maiestatem Vestram longissimis temporibus salvam, incolumem et florentem conservare dignetur. Datae.

C[onstantinus] S[ilvius]

a) in ms. aliquo.

1) Caspar a Münster.

2) Gulielmus a Fürstenberg, magister Ordinis Livoniensis.

3) Iacobus Meck, can. Rigensis, et Michael a Rosen, legati archiepiscopi Rigensis Gulielmi, et Matthias Honroder et Michael Brunnow, legati magistri Livoniae, mense Februariorum Cracoviam ad regem venerunt.

4) Gottardus Kettler.

5) Ioannes IV Basilides, m.dux Moscoviae.

N. 4822.

S.l., 27.III.1559.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,

Ioannem ab Hoit, ad eum proficiscentem, commendat et rogit, ut negotium eius promovere velit ("quoniam nunc opportunum tempus esse videtur, quo apud Livonienses suum negotium recte expediri queat").

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 559-560.

N. 4823.

S.l., 27.III.1559.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,

quod manu propria non scripsit, se excusat; gaudet, quod Bernardus Pohibel ad eum reversus rerum suarum statum ei rettulit; processu rerum Livonicarum se ex una parte oblectatum, ex altera vero contristatum esse nuntiat: adventum Michaelis a Rosen [fratris sui, archiepiscopi Rigenesis, legati] exspectat; pro negotii sui apud regem diligenti promotione gratias agit.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 377v-379.

An hern Terla, den 27 Martii 59 etc.

Wir haben euer schreiben, den 5 Martii datirt, bekommen, inhalts lesende verstanden und weren zum hoschsten geneigt und begirlich, euch mit eigner handt zu beantworten. Weil uns aber nach gelegenheit unsers alters, die dann verhinderung am gesicht und sonst vorfallen, allerley abhaltungen geschehen, seindt wir zuversichtig, wie wir auch aufs gnedigste begeren, ir, als den wir fur den unsern halten, werdet uns entschuldigt haben. Und haben aus dem anfang eures schreibens ganz gerne gehort und verstanden, das unser und euer diener, Bernhart Pohobel, bey euch ankommen und euch unserer gelegenheit berichtet. Seint zuforderst Gott dem allmechtigen fur verlihene gnade, darnach euch und allen wol- [f. 378] meinenden wegen eures wunschens und gonnens zum hochsten danckbar und stellen unsern willen in den wolgefalen des Allerhochsten, wie es derselbe mit uns machet, wollen wir inen in seinen wercken loben und preisen und bitten umb seine gnade, das er uns, seinem diener, in unserm ampt jederzeit durch den heiligen geist beistandt leisten wolle, uff das wir ime zu lob unsere bevolhene[n] lande und leuth gemeiner cristenheit zu nutz regiren mugen, auf das dardurch sein heiliger namen geeheret und sein lob ausgebreitet werden muge.

Ferner haben wir vermerckt, wie es mit den Eyfflendischen eine gelegenheit, und haben uns zum theil solcher handlung erfreuet, zum theil hat uns auch solche allerley bedencken gemacht, konnen aber darzu nicht mer, dann das wir wunschen, dieselbe handlung zuvorderst Gott dem allmechtigen zu lobe, volgends ko.mt. zu Poln etc. zu ehrenaufwachs gereichen und die dinge etwan in merer [f. 378v] achtung als in ehezeiten geschehen

gehalten werden mugen, und wollen Michel von Rossens¹⁾ ankonft erwartet, uns auch, sovil gnade verleihet, in disem handel bereden.

Das ir unser gewerbe bey dem²⁾ ko.mt. mit dem fleiss und ernst ausgericht, thun wir uns gegen euch zum gnedigsten bedancken und begern nochmals in besonderen gnade, ir wollet hinfurter unser als irer ko.mt. blutsverwanthen dieners jederzeit im besten gedencken. Und warten bey obgemeltem eurem und unserm diener, wann sich ire ko.mt. nach Littauen begeben werden, bescheidt.

Beschlislichen thun wir uns eures erbietens der rosse halben, die ir uns bey eurem diener zuzufertigen erbietet, bedancken und mussen bekennen, dar ir euch unsernthalben alzuvil bemuhet. Wissen auch nicht, wormit wir solche und andere vor uns bewisene wolthadt in gnaden vergleichen mugen. Sollet aber nicht [f. 379] zweifeln, das es die gelegenheit gibt, das wir der gnedige herr erspuret wollen werden.

Commissio Principis propria
B[althasar] G[ans]
Secret[arius]

z) sic in ms.

1) *Michael a Rosen, legatus Gulielmi, archiepiscopi Rigensis.*

N. 4824.

S.l., 27.III.1559.

Albertus dux in Prussia

*Bernardo Pohibel, secretario Gabrielis Tarlo,
consilii eri eius, Gabrielis Tarlo, suudentis, ut filius suus linguam Polonicam
discat, se oblitum non esse significat, sed cum idem filius suus linguae
Germanicae nondum bene compos sit, id in aliud tempus reiciendum esse
putat.*

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 379-379v.

An Bernhardt Pohubeln, den 27 Martii 59 etc.

Wir haben dein schreiben, den 5 Martii datirt, bekommen, inhalts nach der lenge verstanden. Achten solchen zu repetiren nicht notig. Wess aber erstlich die schreiben, welche wir dir an unsere rethe mitgegeben, anlangt, hetten wir wol gerne gesehen, das du sie unterwegen antroffen und sie unsere schriften zun handen erlangt. Weil es aber nicht geschehen, stellen wirs in seinen orth und wollen deiner neben den wagenrossen, [f. 379v] wiewol dein her in deme vil zuvil thut, wir auch nicht wissen, wie wirs vergleichen mugen, gewartet und uns alsdann mit dir auch der verpfendten guten halben von Waslowitz und wess dem anhengig, bereden.

Deines hern rath, den cum titollo unsern geliebten sohn¹⁾ in polnischer sprachen berichten zu lassen, anlangende, wollen wir in kein vergessen stellen. Weil aber ermelter unser sohn der deutschen sprachen noch nicht recht gewiss, mussen wirs zu seiner zeit stellen. Wollen aber vermittelst gotlicher gnaden darzu verdacht sein.

Hertzlichen bedancken wir uns in gnaden deiner anzeige von den ceremonien und wunschen von dem Allerhochsten, weil noch allerley darinne verborgen sein mag, das es zu seinem lob, preis und ehren gereichen möge. Und wolten dir etc.

Bal[thasar] Ganss
Secretari

1) *Albertus Fridericus.*

N. 4825.

S.l., 31.III.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Michaelem Narbutt, adolescentem, in aula sua per aliquot annos versatum fidelisque servitoris officio functum, commendat et petit, ut eum rex in numerum servitorum suorum recipere dignetur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 560-561.

N. 4826.

S.l., 31.III.1559.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Trzebuchowski, cubiculi regii praefecto, et, mutatis mutandis, Nicolao Łaski, Stanislao Myszkowski, Eustachio (Ostaphio) Wołłowicz pro Michaele Narbutt intercedit et rogat, ut eum regi commendet, quo in numerum regiorum servitorum accipiatur (cfr. N. praeced.).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 561-562.

N. 4827.

S.l., 31.III.1559.

Albertus dux in Prussia

Eustachio (Ostaphio) Wołłowicz, M.D.L. marscalco,

Valentinum Backfarck, musicum regium, commendat et rogat, ut auctoritatem suam pro eo apud regem interponat, quo collatio bonorum quorundam, a rege ei facta, hereditario iure ad heredes quoque eius extendatur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 562-563.

N. 4828.

S.l., 3.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

marscalcum provincialem Livoniensem [Casparem a Münster], ad regem proficiscentem, commendat et petit, ut rex operam dare dignetur, quo oblata nunc opportunitate, "dum Dominus Coadiutor [Gottardus Kettler] Magistri Livoniensis [Gulielmi a Fürstenberg] istic praesto est" (a Martio usque ad Maium Kettler Petricoviae et Cracoviae fuit), negotium marscalci provehatur et ipse "suae pristinae dignitati rerumque suarum statui restituatur".

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 564-565.

N. 4829.

S.l., 6.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

reginae Scotiae [Mariae]

pro Martino ab Hofen, subdito suo, cum Scottis quibusdam de nave intercepta negotium habente, intercedit er rogat, ut clementia et auctoritate reginali accidente damni sui et sociorum eius, ad quos navis intercepta simul pertinuit, debitam compensationem consequi possit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 565-567.

N. 4830.

S.l., 7.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Valentino Stollio, servitore suo, causam de hereditate ab Euphemia, sorore sua defuncta, relicita habente, in qua legitima hereditatis petitione curatores eiusdem, Petrus Glogovius et Henricus Gersenus, a fisci procuratore Gedanensi, doctore Iacobo a Barthen, et a civi Gedanensi Ioanne Nicolao, supradictae Euphemiae viduo, impediuntur, intercedit.

(Latine)

Cfr. El. XXXI, N. 772.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 567-569.

N. 4831.

S.l., 8.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Achatio Czema iuniore, palatini Marienburgensis filio, regis aulico, cui "ipsis Paschae sacris feriis allatae essent quattuor satis durae et graves citationes", cum terrarum Prussiae constitutionibus ex diametro pugnan-

tes (in quibus diserte cavitur: "Neminem ex Prussiae terris citationibus evocandum neque commissionibus onerandum esse, nisi in controversiis, quae ratione limitum in bonis S. Regiae Vestrae Maiestatis propriis verterentur, vel si lis esset de divisione bonorum inter fratres et sorores"), intercedit et petit, ut rex causam hanc ad competentes iudices reicere velit; queritur praeterea de ingratitudine unius ex actoribus, Christiani Schmutz nominati, olim oppidi sui Marianae Insulae proconsulis, quem ante annos aliquot intercessione eiusdem palatini Marienburgensis motus, licet reum, ex carcere liberum dimiserat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 569-573.

N. 4832.

S.l., 8.IV.1559.

*Albertus dux in Prussia
archiepiscopo Gnesnensi [Ioanni Przerembski]
pro salute per Achatium Czema sibi dicta et propensa eius in se voluntate gratias agit; de dignitate archiepiscopi Gnesnensis ei collata gratulatur;
rogat, ut regi suasor sit, quo afflictae ab hostibus Livoniae opem ferat.
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 573-576.*

Archiepiscopo Gnesnensi, 8 Aprilis.

Gratulatur illi collationem archiepiscopatus et petit, ut apud S. Regiam Maiestatem suasor sit, ne Livonia in his periculis ope destituantur etc.

Sincerum animi affectum et quicquid grati praestare possumus.
Reverendissime in Christo Pater, Amice nobis charissime.

Quod Reverendissima Paternitas Vestra nobis per Magnificum Achatium Czema, Palatinum Marienburgensem, sincere nobis dilectum, compatrem nostrum amantissimum, salutem dixit suamque nobis benevolentiam, licet hanc in ea, quam hactenus obivit functione, contestari amplius non posset, ad quaevis provehenda commoda nostra benigne deferri voluit, neque se a pristino in nos favoris propendente affectu quicquam commisuram, sed aeque in hoc eminenti ac priore dignitatis statu nostri amantisimam fore pollicetur, facit illud Reverendissima Paternitas Vestra ex abundantia amoris in nos singularis sui, quam plurimis nobis hactenus argumentis comprobavit. Summa itaque ac ea, qua par est, gratiarum actione hanc in nos propensissimam voluntatem amplectimur. Cumque tot in nos extent Reverendissimae Paternitatis Vestrae bene – [f. 574] merita, ut nos magnum sibi debitorem reddiderit, dolemus sane nullam nobis hactenus ad demerendum occasionem condignam obtigisse, ut vel gratitudinis saltem significationem aliquam pro tanto Reverendissimae Paternitatis Vestrae beneficiorum in nos collatorum cumulo edere potuissemus. Dabit itaque Reverendissima Paternitas Vestra id amicitiae nostrae, si nos in eo facultas deficit, quod praestare voluntas paratissima est, sibique omnia humanitatis et amici Principis studia de nobis promittat.

Ceterum quoniam Reverendissima Paternitas Vestra divinitus ad culmen Archiepiscopi Gnesnensis erecta est, peramanter illi de dignitate hac

gratulamur ac pro ea, quae nobis iam multis ab annis cum illa amicitiae intercessit coniunctio, hanc praeeminentiam Reverendissimae Paternitati Vestrae ex animo totoque pectore favemus, cum quod Reverendissimam Paternitatem Vestram singulare prudentia, sapientia, humanitate et mansuetudine praeditam esse scimus, ut non modo plurimos ea in parte antecellat, tum quod praeclaris in Rempublicam meritis vel superare hunc honoris gradum videatur. Precamur itaque aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut provinciam excellentem ad gubernandam Ecclesiam Reverendissimae Paternitati Vestrae collatam faustum et felicem esse faxit, ut ad promovendam gloriam Dei et ad christiana Ecclesiae aedificationem cedat, inque laetam [f. 575] multorum Christi fidelium messem excrescat, denique Reverendissimae Paternitati Vestrae totique Poloniae Regno salutari sit. Quia vero, Reverendissima Paternitate Vestra in eo nunc dignitatis gradu constituta, nobis et negotiis nostris multum adiumenti accessisse speramus, plane confidimus Reverendissimam Paternitatem Vestram non modo pristino favore nos complexuram esse, sicut amanter se facturam pollicetur, auctoritate nunc sua, qua valet, plurimum rebus negotiisque nostris iuvandis promovendisque non defutaram.

Quia vero quo in statu sit Livoniae provincia, scire Reverendissimam Paternitatem Vestram arbitramur, amice petimus, ut S. Regiae Maiestati suasor et consultor esse velit, ut Maiestas Sua miserae illi afflictae provinciae opem ferat fratrique nostro¹⁾ in ea laboranti clementer subveniat. Quicquid enim operae, laboris, studii seu diligentiae hoc nomine impendet, illud eo sumus loco habituri, ac si tantundem in nos contulisset. Ac ad pri-stina in nos benevolentiae studia magnum Reverendissima Paternitas Vestra adiectura est cumulum, in quo compensando etsi inferiores nos esse agnoscimus, in redamanda tamen Reverendissima Paternitate Vestra alteri non ita facile cessuri sumus, semperque ad gratificandum promptissimo in Reverendissimam Paternitatem Vestram animo feremur. Interim Reverendissimam Paternitatem Vestram rectissime valere faustaque et secunda illi omnia obvenire, quamque divinitus adepta est [f. 576] gubernandi excellen-tiam, auspice et procurante Deo, in seros annos illi felicissimam esse percupimus. Nos vero nostraque omnia amori et favori Reverendissimae Paternitatis Vestrae iterum atque iterum amanter commendamus. Datae.

A[ndreas] Moncer

1) *Gulielmus, archiepiscopus Rigensis.*

N. 4833.

S.l., 8.IV.1559.

*Albertus dux in Prussia
Philippo Padniewski, R.P. vicecancellario,
pro opera et studio in negotiis suis expediendis, de quo ab Achatio Czema,
palatino Marienburgensi, se cognovisse scribit, gratias agit; negotium fra-
tris sui Gulielmi, archiepiscopi Rigensis, et totam "misere afflictam" pro-
vinciam Livoniensem ei commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 576-578.

Albertus dux in Prussia
R.P. cancellario [Ioanni Ocieski]

S.l., 10.IV.1559.

rogat, ut considerato comuni periculo, non solum Livoniae, sed etiam terris suis et Regno Poloniae orituro, si Moscum Livonia potiri contingat, eo diligenter incumbat, ut afflictae illi provinciae mature auxilia a rege decernantur.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 578-579.

Cancellario Regni Poloniae, 10 Aprillis.

Commendat Livoniam, et ut auxilia mature decernantur, orat.

Salutem et benevolentiam nostram.

Magnifice ac Generose, Amice singulariter nobis dilecte.

Tametsi non dubitamus Magnificentiam Vestram tum ex nuntiis Livoniensium¹⁾, qui paulo ante istic fuere, tum etiam ex hoc ipso praesenti legato, Domino Coadiutore [*f. 579*] Magistri Livoniensis²⁾, statum eius provinciae satis tristem, miserandum et calamitosum cognovisse, atque ideo Magnificentiam Vestram sua sponte propensam et paratam esse ad ea consilia prosequenda et expedienda, quibus misere afflictae et extreme periclitanti provinciae subveniri possit, tamen Magnificentiam Vestram etiam atque etiam amanter petimus, ut accuratius huic negotio intendat animum et considerato communi periculo, quod hinc expectare habemus, si (quod Deus omen avertat) Moscum³⁾ Livonia (quae quasi propugnaculum est Regni et terrarum S. Regiae Maiestatis) potiri contingat. Itaque suo studio, authoritate et industria eo incumbat, ut tandem miseris et oppressis hominibus, in quorum numero Reverendissimus quoque frater noster⁴⁾ cum Coadiutore suo⁵⁾ constitutus est, a S. Regia Maiestate Poloniae, Domino nostro clementissimo, mature auxilia decernantur. Nisi enim hoc fiat, non videmus, quibus rationibus aut viribus haec provincia ex immanissimi et superbientis hostis faucibus eripi queat. Quicquid Magnificentia Vestra hac in re egerit, iuverit et expedierit, non aliter accepturi sumus, quam si nobis ipsis hoc totum officii sit praestitum, dabimusque operam, ut id ipsum clementia et gratitudine nostra vicissim rependumus. Cupimus Magnificentiam Vestram bene feliciter valere. Datae.

1) *Iacobus Meck et Michael a Rosen, legati archiepiscopi Rigensis, et Matthias Honroder et Michael Brunnow, legati magistri Livoniae.*

2) *Gottardus Kettler, coadiutor Gulielmi a Fürstenberg, magistri Livoniae.*

3) *Ioannes IV Basilides, m.dux Moscoviae.*

4) *Gulielmus, archiepiscopus Rigensis.*

5) *Christophorus, dux Megapolensis, coadiutor Rigensis.*

S.l., 10.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

pro Valentino Stolle, servitore suo, intercedit et rogat, ut causam eius apud regem et Regni cancellarium [Ioannem Ocieski] promoveat, ut ei iusititia administretur.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 380-380v.

N. 4836.

S.l., 12.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

*Martino Zborowski, palatino Posnaniensi,
pro Iacobo Willem (vel Villen), mercatore Regiomontano, a quodam Israele,
Iudeo Posnaniensi, qui ei pannos falsos vendidit, "nequiter decepto",
intercedit et rogat, ut "ipsa rei iniquitate considerata" ius ei contra
Iudeum dicat.*

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1694.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 580-581.

N. 4837.

S.l., 15.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Suszycki [Murzynowski]

pro eo, quod filium eius Nicolaum, in Academia sua Regiomontana studiis literarum incumbentem, sumptibus suis aluerit, tanta gratiarum actione opus non fuisse nuntiat; cum tamen nunc porro id praestare recuset, quod reliqui alumni libenter praestant, se eum amplius propriis sumptibus alere non posse et liberam facultatem discedendi, quando velit, ei concedere.

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1683.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 581-582.

N. 4838.

S.l., 16.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

nova, ad se hoc ipso die perlata, "tam de civitate Derptensi, quam de Moschi consiliis", mittit et rogat sibi ignosci, si fortassis regi, gravioribus negotiis occupato, hac importunitate sua molestior sit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 582-583.

N. 4839.

S.l., 18.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

Claudio Drohotio (vel Dorotheo)

diligentiam eius in perscribendo sibi rerum Livonicarum statu laudat; probat consilium, "ne cum tam parva manu in hostem potentissimum eatur"; consultit ei, ut contradictiones vulgi mansuetudine et lenitate superet et suos atque Friderici a Kanitz equites equitatui Christophori ducis Megapolen-

sis adiungat; cupit, ne fratri suo, archiepiscopo Rigensi, Livonia excedere consulatur, "sed ut communem cum suis sortem sustineat experiaturque".

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 583-587.

Claudio Drohotio, 18 Aprilis.

Placet consilium, ne cum parva manu hosti obviam eatur, munitionibus retro sine praesidio relictis. Suadet, ut contradictiones populi sapienter tolleret et se cum Canitio¹⁾ equitatui Illustris etc. Ducis Christophori Megapolensis²⁾ etc. adiungat. Ultimo vult, ne consulatur Archiepiscopo Rigensi³⁾, ut Livonia excedat etc.

Generose, Fidelis nobis dilekte.

Ex literis Generositatis Tuae perspeximus, quam deplorandus sit cum rerum omnium penuria Livoniae status, ac quid consilii Generositas Tua in omnem eventum Reverendissimo fratri nostro et senatui Rigensi dederit quidque profecerit. Haec omnia nobis a Generositate Tua acciderunt gratissima, laudamusque Generositatis Tuae studium et diligentiam, quod singula ordine suo et explicate ad nos perscripsit. Ac primo quidem, quod ad Generositatis Tuae consilium de eundo hosti obviam et praesidiis in civitatibus collocandis attinet, in eo probatur nobis sententia Generositatis Tuae, si tantae essent copiae, ut et proelio cum hoste committendo et civitatibus simul ad obsidionem sustinendam recte, et prout necessitas exigit, muniendis sufficerent. Quia vero non supra tria milia equi – [f. 584] tum peditumque Magistrum⁴⁾ habere, Reverendissimo etiam fratri nostro circiter trecentos tantum esse intelligimus, recte et bene Generositatem Tuam consuluisse iudicamus, ne cum tam parva manu in hostem potentissimum eatur. Quis enim (nisi belli expers) tam exiles copias exercitui hostium adeo numero ad pugnandum opponi, vel potius ad mactandum obici suaderet, siquidem civitatibus non satis munitis et sine praesidio post terga relictis tota salus provinciae, in paucitate ea deleta, periclitaretur, idque timendum veniret, quod Generositas Tua suis literis copiosius annotavit. Itaque rebus eius provinciae in eo, sicut dictum est, statu adhuc consistentibus, utiliter Generositatem Tuam consulere censemus, neque dubitamus, quin Reverendissimus frater noster cum Magnifico Domino Magistro prudenter rebus suis sit consulturus et quae praesens poscit necessitas procuraturus.

Quod vero Generositas Tua, rebus in ea confusione istic positis, se redire ad nos malle scribit, nisi et officii et studii in nos sui observantia illam retraheret, in eo gratus nobis est Generositatis Tuae erga nos candor, nihilque secus nobis de illa pollicebimur. Quicquid enim Generositas Tua Reverendissimo fratri nostro praestat, id se nobis contulisse existimet. Neque mo – [f. 585] veatur, si, ut est imperitia vulgi, interdum ei contradicitur, sed potius in eo rerum turbulentio statu, sicut et belli quandoque imperatorem facere oportet, pleraque mansuetudine et lenitate supereret ac nihilominus, quae ex re et salute sunt, pro fide sua consulat. Quod si in vulgo sunt qui metas officii sui excedunt, facile corrigi possunt, si modo Reverendissimo fratri nostro et senatui voluntas fuerit una et consociata. Proterviter enim contentioso et salutaribus consiliis contradicente aliquo probe castigato, alii eius deterriti exemplo in eum lapidem impingere sibi cavebunt. Neque peius in Republica est toxicum, quam ubi tempore belli voluntatibus et opinionibus vulgi ad rem non facientibus indulgetur. Severitate itaque et animadversione legitima et decenti opus erit, ut quos impe-

rare et quos imperata capessere decet, utrique officio suo fungantur. Ea ratione Deus sua gratia salutaribus ceptis non deerit.

Quod Generositas Tua scribit Illustrem Dominum Christophorum Ducem Megapolensem, filium nobis charissimum, noluisse, ut Generositatis Tuae et Canitii equites in album servitorum Illustritatis Suae referrentur, illud iniucundum nobis fuit auditu. Scripsimus autem ad [f. 586] Illustritatem Suaam ea de re, neque dubitamus, quin sententiam suam mutatus sit. Iam pridem etiam eiusdem rei mentionem fecimus per literas apud Dominum Ducem Ioannem Albertum⁵⁾, cui non displicere scimus, ut Generositatis Tuae et Canitii equites Domini Duci Christophori equitatui ascribantur, siquidem is, cum ducentis debeat equitibus constare, adhuc non completus est. Brevi quoque dictum Dominum Ducem Ioannem Albertum id missurum istuc esse confidimus, quod equitibus illis recepit.

Postremo annexit Generositas Tua consilium se in extremo necessitatis casu Reverendissimo fratri nostro daturum esse. Quod ut nobis gratum accedit, ita in eo praecipuam tamen rationem haberi suademos, ne Reverendissimae Illustritati Suae consulatur ea provincia excedere, sed ut communem cum suis sortem sustineat experiaturque. Quam enim ignominiosum foret, si Reverendissima Illustritas Sua salutis suaे consuleret, subditis suis in praesentissimo periculo relictis, nemo esset, qui non ita iudicaret. Accedit et illud, quod recedente Reverendissima Illustritate Sua res omnes conciderent, inque alium statum transferrentur, non sine perpetua nominis et dignitatis Reverendissimae Illustritatis Suae macula, ut honeste potius, si nostra res ageretur, mori vellemus quam eiusmodi nota aspergi.

Atque haec Generositati Tuae rescribenda [f. 587] esse duximus, iterum atque iterum clementer ab illa postulantes, ut, quod facere illam scimus, fratri nostro adsit atque ea, quae magis expedire seu utilia esse putaverit, suadeat consulatque ac bono infractoque illum animo esse hortetur. Quod si in sublevando eo per nos aliquid accedere poterit, nihil sane studii, consilii, laboris, operae seu diligentiae, quantum in nobis est, praetermittemus, tametsi primo omnium auxilium a Domino petendum est, qui in die tribulationis et rebus in summa desperatione stantibus invocantes exaudit. Cuius nos omnipotentiam ardentibus votis in hoc flagitare non cessamus. Quod superest, Generositatem Tuam feliciter valere eique fausta omnia obvenire optamus. Arcis interim, de qua scribit, formam ab ea expectaturi. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Fridericus a Kanitz, consiliarius ducis Alberti.*

2) *coadiutor Rigensis.*

3) *Gulielmus, frater ducis Alberti.*

4) *Gulielmus a Fürstenberg, magister Ordinis Livoniensis.*

5) *dux Megapolensis, gener ducis Alberti.*

N. 4840.

S.l., 19.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

*Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,
pro officiis Michaeli a Rosen et collegae eius [legatis archiepiscopi Rigensis]
exhibitibus gratias agit; consentit cum eo negotium [auxiliarum Livoniae
serendorum] nimis procrastinari; de Comitiis Augustanis non plura sibi*

constare, quam quae Assuerus Brandt sibi scripserit: scil. ex saecularibus non nisi ducem Bavariae eis interesse; si nova de Tartaris, Moscovitis et Turcis vera essent, Livoniam et Hungariam laetari posse scribit, ipse tamen dubitat res se ita habere; se non satis intelligere, cur rex tam festinanter Vilnam proficiscatur, dum regina Varsaviae commoratur.

Cfr. El. XLIII, NN. 213, 214.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 380v-382v.

An Gabriel Terla, den 19 Aprilis 59.

[f. 381] In nechster unser beantwortung eurer schriften haben wir versehen und euch nicht geantwortet uff das schreiben, so uns Michel von Rossen etc. von euch zubracht. Begern derhalben gnedigst, uns entschuldigt zu nemen. Und hat uns gemelter von Rossen zum fleissigsten bericht und geruhmet, wess treue und forderung ime und seinem mitgesandten von euch widerfaren, wie wir es dann auch aus euren schreiben verstehn, und seint euch dafur zum gnedigsten danckbar. Wollen es in gnaden zu erkennen nicht unterlassen. Und were warlich, wie ir schreibt, die hohe zeit, das man nicht solang bis hieher seumete, sonder dem handel recht und besser nachdechte und dise habende gelegenheit nicht verseumete oder verachte.

[f. 381v] Aus dem nechsten euren schreiben, freitag nach Ostern datirt und uns bey unserm bothen worden, verstehen wir, wess ir von dem reichstag zu Augspurg und worumb die weltlichen wollen, schreibet. Nun wissen wir damit nicht mer, dann das uns unser rath Asuerus Brandt daher auch schreibt, das vom weltlichen kein furst aldo, allein der hertzog von Bayrn¹⁾, und itzo seint dohin auch die hertzogen von Meckelburg verreiset etc. Ob aber das nit erscheinen, derhalben, wie ir meldet, nit geschehe, davon schreibt er nichts. Doch mussen wir schir glauben, es musse was hinter im haben und wurts die zeit dermaleinst wol herfur bringen.

Wo die zeitungen mit dem Tater und Muscowitter [f. 382] als mit dem Turcken gewiss und inen zu trauen, were es Leyfflandt und Ungern gar ein gewunschtes spil, ja were den guten landen von Gott zu erbitten und wunschen. Wir besorgen aber warlich, es sey nurn bedes ein blutgeschrey, dann wir diser tage aus Lifflandt die kundtschaft erlangen, ist auch von etlichen gefangenens aus der Muscau geschriben, das der Muscowitter²⁾ sich mit gantzer macht aufruste und willens sey, nicht mit kriegen aufzuhören, er habe dann das gantze landt mit allen heupten in seiner handt und sollte er auch 20 jar darinne fleiden. So sey man seins gewaltsamen einfals alle tag vermuttendt. Derhalben wir warlich sorgen, es werde an dem tadterischen siege nichts gewisses sein. So kompt von Turcken auch [f. 382v] zeitung alher, das er gewaltig auf Ungern ziehe und dasselb zu erobern willens sey. Doch wurts bedes die zeit geben.

Das die ko.mt. nach der Wilna eilen, konnen wir nicht verstehn, was es fur eilen sey und warumb es geschehe, weil die konigen³⁾ zu Warschau bleibt etc. Verhoffen uns doch, es solle zum guten ausgehn und die konigin baldt volgen.

Fur die mitteilung der zeitung und eur erbiten der wagenross halben seint wir danckbar. Wollen der rosse und Pohubels ankonft erwarten, uns auch mit ime alsdann allerley bereden. Und wolten euch, dem wir etc.

1) Albertus V.

2) Ioannes IV Basilides.

3) Catharina.

H[einrich] Stend[rich]

S.l., 19.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

de discordia inter regem Daniae et ducem Holsatiae nihil sibi constare nuntiat; pro novis ex Comitiis Augustanis sibi missis gratias agit; rogat, ut litteras regis ad pontificem in negotio confirmationis coadiutoris Rigensis, si rex proprium nuntium Romam mittere nollet, Ioanni Alberto duci Megapolensi vel sibi transmittendas curet; scribit, si Moscus Livonia poti-retur, confirmationem pontificiam ab illo parvi factum iri: Stanislai Warszewicki erga se fidem, diligentiam et propensionem iucundam sibi esse asseverat etc.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 383-385v.

An Erhart von Kunheim, den 19 Aprilis 59 etc.

Wir haben dein schreiben, freitag nach Ostern¹⁾ datirt, bey unserm bothen bekommen und inhalts, den wir zu repetiren unnötig achten, lesende verstanden. Und wehre anfenglich der dancksagung fur unser schreiben nicht nötig, dann es mit gnaden geschehen. Bedancken uns aber deines hohen erbitens, daran wir uns keinen zweifel machen, das es mit unserm handtschreiben an unsere g. frau, die konigin, im uberschreiben versehen worden und der ko.mt. zu handen gestellet. Ob nun wol nicht vil daran gelegen gewest, ist uns doch das versehen nicht lieb. Und [f. 383v] wie wir dem handel nachfragen, ist solchs durch ungeschickte besteller hergeflossen. Wollen aber die bestellung hinfurt mit solchen thun, das es hofflich nicht mer vonnöthen sein solle.

Der uneinigkeit zwischen Dennemarcken und Holstein haben wir kein besonder wissen. Und ob uns wol weitleufig auch etwas davon vermeldet, haben wir doch dessen keinen grundt erfahren können, sonder sovil aus dem ersten schreiben, darinne uns der todliche abgang der ko.w. zu Denne-marcken seliger²⁾ vermeldet, verstanden, das freuntliche einigkeit derorth gewest. Derwegen wir es auch nicht gleuben noch ermessen können, dann uns auch der both gesagt, das die bruder³⁾ aldo und zusammen gewest, [f. 384] auch freuntlich gescheiden. Doch so etwas daran, des wir doch nit gerne wolten, wurts die zeit herfur bringen.

Der zeitung von Augspurgk bedancken wir uns, und scheinet wol, als sey etwas etc. Es wirt uns aber zugeschrieben, das aus deme friede mit Franckreich⁴⁾ und dem printzen nichts wirt, noch was daran, sonder kauf-mans zeitung sey etc.

Das schreiben an bapst⁵⁾ hertzog Cristoffs⁶⁾ confirmation halben betreffende, begern wir gnedigst, du wollest es dahin fordern, wo die ko.mt. damit oder derorth nicht einen eigenen bothen schicken wolten oder wurden, das uns oder hertzog Johann Albrechten zu Meckelburg etc. dasselbe zugeschickt werde. Do aber die ko.mt. damit einen eigenen bothen schicken wolten, das dasselb [f. 384v] noch ein kleine zeit angehalten und verzogen werde, dann wir herzog Johann Albrechten davon geschrieben und s.l. meinung gebethen. Sobaldt wir s.l. meinung erlangen, wollen wir es dir unseumlich vermelden. Und wie warlich die hendel itzo in Eyfflandt stehn und gewandt sein, möchte der bapst wol ohne irkein bedencken die confirmation geben. Dann solte der Muscowitter⁷⁾ der lande mechtig werden, wurde er ein bosen confirmatoren geben und des bapsts confirmation nicht

ansehen, je der bapst solte vilmehr retten und helfen, das der confirmator aus den landen gehalten.

Des gesellen beim grosscantzler⁸⁾, Warschowitzki⁹⁾, treuheit, vleiss und gewogenheit gegen uns ist uns lieb zu hören. Und begern gnedigst, du wollest ime unsern gnedigen willen, und das [f. 385] wir sein treu erfreulich horen, uns auch dagegen hinwider den gnedigen hern erzeigen wollen, vermelden, und in solcher zugethanen gewogenheit gegen uns zu verharren, vermahnen und bitten. Und weil wir dann ime je gern gnedigen willen erzeigen wolten, so wollest an ime unvermerckt, womit wir ime wol gnade erzeigen konten, verhorchen. Ob ime ein jerlich dinstgelt angenehme, so wolten wir ime gern ein dinstgelt geben, oder ob ime sonst womit g. wille ze thun, uns dein rath und bedencken zuschreiben. So wollen wir uns mit gnaden erkleren.

Achiliz¹⁰⁾ Scipioni wollest unsern gnedigen gruss und willen und dabey anmelden, das er sich keiner ungnade oder angebens besorgen wolle, dannn dessen bey uns nicht beschehen. Das wir aber ime solang her nicht [f. 385] geschriben, ist aus keinem ungnedigen willen, sonder darumb beschehen, das wir nicht wissen noch uns erinnern konnen, das uns vonime seint dem Maio im 58, do wir ime unser meinung zugeschriben, irkein schreiben worden. Wie wir ime dann auch selbst schreiben und dir den brief hiemit zuschicken, dann wir uns je gegen ime anderst nicht als ein gnedigen hern vermercken lassen, seint ime auch noch mit gnaden gewogen.

Fur die mitgetheilten zeitung und anders vermeldens und eroeffnung seint wir gnedigst danckbar, mit gnaden begerende, uns jederzeit mit dein schriften zu ersuchen und wie alle sachen stehn, zu eroeffnen.

Unser gnedigenfrauen, der konigin¹⁰⁾, wollest fur das gnedige zuentbiten zum hochsten dancken und unsere arme, doch getreue dinst anmelden.

H[einrich] Stend[rich]
Commissio Principis propria
Idem audivit

z) sic. in ms.

1) 31.III.1559.

2) Christianus III.

3) scil. Fridericus II rex Daniae et Magnus dux Holsatiae, filii Christiani III.

4) initio mensis Aprilis 1559 a. pax inita est inter Henricum II regem Galliae et Philip-
pum II regem Hispaniae in Cateau-Cambré-
sis.

5) Pius IV.

6) Christophorus dux Megapolensis, coadiutor Rigensis.

7) Ioannes IV Basilides.

8) Ioannes Ocieski.

9) Stanislaus Warszewicki (1530-1591).

10) regina Catharina.

N. 4842.

S.l., 23.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro nobilibus Gulielmo et Georgio Natzimer, quibus a quodam Czarnkowski
negotium fit in pacifice possidenda tenuta arcis Drahim, ante aliquot
annos eis a rege «ad extrema eorum vitae tempora» concessa, intercedit.
(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 587-589.

N. 4843.

S.l., 25.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

*Erhardo a Kunheim et, mutatis mutandis, Stanislao Myszkowski
pro nobilibus Gulielmo et Georgio Natzimer, filiis Ioachimi, quibus a Stanis-
lao Sandivogio Czarnkowski negotium facessitur in pacifice possidenda
tenuta arcis Drahim (Draheim), ante aliquot annos a Sigismundo rege
Poloniae patri eorum et deinde a Sigismundo Augusto rege etiam eis con-
cessa, intercedit et rogat, ut negotium eorum regi commendent (cfr. N.
praeced.).*

(Germanice)

Ostrpr. Fol., vol. 45, ff. 386-387v

N. 4844.

S.l., 28.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

palatino Masoviae [Stanislao Ławski]

*de quibusdam Masovitis, nempe Andrea Zieliński et Galanga [vel Golenia]
Potrykowski, qui subditos suos districtus Soldaviensis variis iniuriis affi-
ciunt, queritur et petit, ut eos «pro officii sui ratione» hortari velit, quo
sibi in posterum ab inferendis subditis suis iniuriis temperent, ne – si ali-
ter fiat – occasio sibi detur ad regem de eis conquerendi; rogat etiam, ut
Petrum, Nicolaum et Felicem Gnoiński fratres, ad fines Ducatus sui
degentes et in flumine Nida varia obstacula, «tum contra veterem con-
suetudinem, tum etiam contra pacta conventa» facientes, admoneat,
«ut tandem ab incepto suo iniquo desistant et obstacula illa submo-
veant».*

(Latine)

Ostrpr. Fol., vol. 55, ff. 589-591.

N. 4845.

S.l., 1.V.1559.

Albertus dux in Prussia

*Stanislao Skaszewski, capitaneo Jurborgensi et Bothocensi,
petit, ut doctori Valerio Fidlero, medico suo, ad fratrem suum Gulielmum,
archiepiscopum Rigensem, misso, qui ea via iturus est, quae per distric-
tum eius compendio Rigam ducit, monstratorem viae aliquem adiungat,
ut eo tutius et celerius iter suum conficiat.*

(Latine)

Ostrpr. Fol., vol. 55, ff. 591-592.

N. 4846.

S.l., 12.V.1559.

Albertus dux in Prussia

episcopo Plocensi [Andreae Noskowski]

mittit commissionem regiam, qua episcopus una cum aliis quibusdam dominis commissariis ad regundos fines inter Masoviae et Prussiae Ducatus constituitur, et roget, ut eandem commissionem regiam ceteris commissariis insinuare velit et certum tempus ac locum designare, «quando et ubi hoc ipsum limitum negotium denuo sit auspicandum».

(*Latine*)

Cfr. El. XL, N. 1703.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 592-593.

N. 4847.

S.l., 13.V.1559.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Ostrorög, castellano Międzyrzecensi,

litteras eius, quibus Matthiam Wołyniec causamque occisi filii eius sibi commendaverat, se accepisse et petitioni eius satisfecisse nuntiat.

(*Latine*)

Cfr. El. XL, N. 1688.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 593-594.

N. 4848.

S.l., 15.V.1559.

Albertus dux in Prussia

Alberto Caprino

in Italiam studiorum causa profecturo et petenti, ut doctis istic viris commendetur, respondet sibi nullam cum doctis Italiae intercedere notitiam, horaturque eum, ut se quam primum certiores reddat, ad quos litteras commendaticias a se dari cupiat.

(*Latine*)

Cfr. El. XLV, N. 154.

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 594.

N. 4849.

S.l., 15.V.1559.

Albertus dux in Prussia

Martino Nowowiejski

ei, filium Martinum, suis sumptibus apud se in studiis litterarum aliquandiu versatum, iustis de causis revocare volenti, respondet se filio eius facultatem discedendi clementer concessisse; nuntiat quoque tanta gratiarum

actione pro beneficiis filio eius exhibitis opus non fuisse («Nos enim, quacunque parte bonarum litterarum studiosos adolescentes iuvare possumus, id et libenter et ratione officii nostri merito praestamus»).

(*Latine*)

Cfr. El. XL, N. 1689.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 594-595.

N. 4850.

S.l., 19.V.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

rogat, ut rex thesaurario terrarum Prussiae [Ioanni Kostka] mandet, quo annui sui stipendii solutionem sibi non in aureis Italicis (quorum valorem idem thesaurarius maioris aestimat quam par est), sed «in usitata, sicut antea semper factum est, moneta... praestet, vel aequo valore aureos Italicos aestimet».

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 595-596.

N. 4851.

S.l., 20.V.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

nuntios fratris sui, archiepiscopi Rigensis, de auxilio contra Moscum gerendo acturos, commendat.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 596-597.

Regi Poloniae, 20 Maii.

Commendat nuntios Livonicos et petit, ut in auxiliis mittendis se clementem exhibeat.

Serenissime Rex etc.

Mittit iterum ad S. Regiam Vestram Maiestatem Reverendissimus et Illustrissimus Dominus Archiepiscopus Rigensis, frater meus charissimus¹⁾, suos nuntios²⁾, ut cum [f. 597] Regia Maiestate Vestra de auxilio contra Moschovitam, communem Christianitatis hostem, ferendo agant. Etsi autem dubium mihi non est, quin S. Regia Vestra Maiestas et hos ipsos nuntios clementer sibi commendatos habitura et totum negotium sive periculum potius Livonicum pressius consideratura sit, tamen has meas quoque preces ipsis ita potentibus interponere volui. Peto itaque maiorem in modum submisso, ut quoniam mora omnis et procrastinatio in his rebus plerunque perniciosa esse consuevit, S. Regia Vestra Maiestas pro summa sua clementia Reverendissimi fratris mei rationem habeat, ac tandem quid facto opus sit in praesenti isto periculo, mature clementerque statuat et istam provinciam, ob metum indies irruituri hostis perculsam et labantem, omni ratione sibi defendendam suscipiat. Ita S. Regia Vestra Maiestas rem piam, laudabilem et se, tanto Rege, dignam fecerit, universamque provin-

ciam aeterno beneficio sibi devinxerit. Ego autem una cum fratre meo dilectissimo omnibus officii generibus demererit et S. Regiae Vestrae Maie- stati sedulo rependere conabor. Quam Christus diu salvam et incolumem conservet. Datum.

C[onstantinus] S[ilvius]

- 1) *Gulielmus.*
- 2) *Jacobus Meck, decanus Rigensis, et Henricus de Tisenhausen.*

N. 4852.

S.l., 20.V.1559.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Tarnowski et, mutatis mutandis, palatino Cracoviensi [Stanislao Te- czyński], archiepiscopo Gnesnensi [Ioanni Przerembski], R.P. cancellario [Ioanni Ocieski], R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski] fratris sui Gulielmi, archiepiscopi Rigensis, nuntios ad regem missos, Iacobum Meck, decanum Rigensem, et Henricum de Tisenhausen, qui de sup- pettiis contra Moscum ferendis cum rege agant, commendat eosque ita iuvari petit, ut et fratris sui ratio habeatur et tota provincia Livoniensis ex praesenti iam periculo liberetur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 598-599.

N. 4853.

S.l., 23.V.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae litteras ad telonearios pro 600 bobus ad aulae suae necessitatem et ad praesi- dia arcis suaे Memelensis ex Russia exigendis sibi concedi petit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 605.

N. 4854.

S.l., 23.V.1559.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwitt, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario, litteras quasdam, heri acceptas, mittit et rogat, ut si quid ad eas responden- dum duxerit, id ad se preferendum curet, se autem curaturum esse promit- tit, ut ad debitum locum transmittatur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 605-606.

S.l., 23.V.1559.

Albertus dux in Prussia

Claudio Drohotio (vel Dorotheo)

nuntiat se eodem fere tempore ternas eius litteras Rigae datas accepisse; suadet, ut stantibus sex mensium cum Mosco induitiis, quas se non probare scribit, omnia ad defendendam Livoniam et profligandum hostem necessaria comparentur, arces muniantur et commeatus convehatur; significat de obsidione Lubecae non nisi vanum rumorem fuisse; modum arcis cuiusdam emendandae usque ad redditum eius differt.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 602-604.

Claudio Drohotio, 23 Maii.

Consulit, ut stantibus induitiis sex mensium cum Moscho provideatur de omnibus generibus rerum necessariarum, quo in omnem eventum Livonia contra hostem instructior sit. Scribit rumorem tantummodo esse de obsessa Lubeca. Modum extruendae arcis in aliud tempus reicit.

Generose, Fidelis nobis dilecte.

Ternas Generositatis Tuae literas Rigae datas eodem fere tempore accepimus, earumque sensum legendo cognovimus. Principio quoniam ex Iacobo [f. 603] Schwerin intelleximus Generositatem Tuam dubitare, num scripta tua acceperimus omnia, itaque scire te volumus nobis omnes Generositatis Tuae literas hactenus redditas esse, nosque iis respondisse etiam. Iam autem quod Generositas Tua de induitiis sex mensium a Moscho¹⁾ per legatos Regis Daniae²⁾ impetratis scribit, id aliorum quoque literis et relatione perceperimus. Et quanquam istae induitiae non prorsus nobis probantur, quas fortassis hostis ita propter suam commoditatem concessit, ut Livones interim remissiores fierent in procurandis rebus suis ad defensionem necessariis, tamen quia factum infectum fieri nequit, Deo ac fortunae hanc rem commendandam censemus. Nobis autem et consultius et magis salutare visum fuisset, si tantae copiae collectae fuissent, quibus vel recta hosti obviam iri, vel eius ditiones ultro invadi potuissent. Sed quia id etiam nunc pactis induitiis locum non habet, restat illud, ut interea temporis dum induitiae durant, omnia necessaria ad defendendam provinciam et profligandum hostem comparentur, urbes et arces muniantur, quantum fieri potest, et commeatus convehatur, tormenta, arma et omnis generis instrumenta [f. 604] bellica in tempore parentur, novi milites in locum demortuorum, siquidem tam multi, uti Generositas Tua scribit, ex morbo perierunt, vocentur et conscribantur, ut ita in omnem eventum sint parata praesidia contra crudelissimi hostis vim et impressionem. Accedimus etiam sententiae Generositatis Tuae, ne equites mercenarii dimittantur, et ut custodiendis limitibus aliqua pars equitatus Livonici destinetur, ne tota provincia sine praesidiis esse videatur.

De obsidione urbis Lubecae vanum rumorem esse putamus, nulla enim eius rei fama rumorve ad nos pervenit.

Quod ad modum arcis emendandae pertinet, quem Generositas Tua tertii suis literis inseruit, cum prima facie et quidem sine pictura non satis assequi possumus. Nolumus autem Generositatem Tuam, satis alioqui occupatam, hoc tempore de ea re sollicitam esse, verum ubi ad nos Gene-

rositas Tua redierit, dabimus operam atque in eam cogitationem incumbe-
mus, ut te monstratore rectius omnia assequamur.

Consilium nostrum de revocanda Generositatis Tuae persona ex literis,
quas Friderico Car.iczio scripsimus, satis intelliget. Atque haec Generosi-
tati Tuae ad literas eiusdem respondere voluimus. Quae bene valeat.

C[onstantinus] S[ilvius]

- 1) *Ioannes IV Basilides.*
- 2) *Fridericus II.*

N. 4856.

S.l., 24.V.1559.

Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim

*rogat, ut apud Regni cancellarium [Ioannem Ocieski] instare velit, quo in
negotio regundorum finium peculiares commissiones et mandata ad sin-
gulos commissarios in debita forma scribenda curet, et petit, ut eorum
exemplaria sibi transmittat; petit etiam, ut litteras liberi telonei ad 300
boves ex Russia in Ducatum suum pellendos impetrare conetur (cfr. N.
4860).*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 388-389v.

N. 4857.

S.l., 27.V.1559.

Albertus dux in Prussia
ducissae Suffolciae

*eam feliciter et commode ex itinere suo domum revertisse sperat et omnia fau-
sta ei precatur; rogat, ut oblata occasione et nuntiorum copia rerum sua-
rum statum sibi significet.*

(Latine)

Ostpr.Fol., vol. 55, ff. 606-607.

N. 4858.

S.l., 27.V.1559.

Albertus dux in Prussia

*"Richardo Bartey, duci Suffolchiae",
eum una cum coniuge feliciter in Angliam ad sedes suas ex itinere, quod per
Ducatum quoque suum fecerat, revertisse sperat omnemque felicitatem ei
exoptat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 607-608.

N. 4859.

S.l., 27.V.1559.

Albertus dux in Prussia

Alberto Caprino

litteras eius, quibus de futura sua ad litterarum studia in Italiam profectione scripserat et munificentiam sibi exhiberi doctisque in Italia viris commendari petiverat, a doctore Georgio Sabino sibi redditas esse nuntiat; in favoris in eum sui significationem se iussisse significat 50 taleros ei per Bernardum Bolman Toruniae numerari; cum doctis Italiae nullam sibi notitiam esse sribit et sibi significari petit, quibus commendari velit.

(Latine)

Cfr. El. XLV, NN. 151, 154.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 608-609.

N. 4860.

S.l., 29.V.1559.

Albertus dux in Prussia

R.P. cancellario [Ioanni Ocieski]

nuntiat sibi a commissariis regiis, negotio regundorum finium deputatis, significatum esse «consuetudinem apud illos esse receptam, ut commissiones non coniunctim unis literis ratione plurium limitum controversorum comprehendantur, sed quemadmodum ad partes peculiaria eduntur mandata, ita quoque singulos limites controversos peculiari opus habere commissione»; rogat igitur, ut commissiones eiusmodi, in forma debita descriptas, edere sibique per Erhardum a Kunheim remittere velit.

(3 schedulæ: 1. petit litteras liberi telonei ad boves in Russia emendos; 2. ut in locum palatini Marienburgensis [Achatii Czema], senio confecti, Stanislaus Myszkowski, capitaneus Marienburgensis, subrogetur; 3. accepto nuntio de cancellarii una cum rege in Lithuaniam profectione, illuc litteras suas mitendas se curasse nuntiat).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 599-602.

N. 4861.

S.l., 7.VI.1559.

Albertus dux in Prussia

Annae, viduae Eustathii Trepka,

litteras eius, 29.IV. Posnaniae datas, se acceperat et petitionem eius intellexisse nuntiat; iterum de morte mariti eius dolet et paratum se dicit unum ex quinque filiis eius natu maiorem in aula sua alere et institutionem educationemque eius curare; reliqua a Stanislaou Ostrorog eam intellecturam esse sribit (cfr. N. 4864.).

(Latine)

Cfr. El. XLV, N. 153.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 389r-390.

N. 4862.

S.l., 8.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

Claudio Dorothio (vel Drohocio)

*litteras eius, 23.V. ex Lemsal datas, se accepisse nuntiat; excusationem eius,
quod propter subitum cancellarii discessum omnia accurate perscribere
non potuerit, clementer admittit; diligentiam eius in perscribendis rebus
Livonicis, et praesertim in eo, quod de deditione urbis Rigensis Nicolao
Radziwill respondendum consuluerit, laudat; ulteriorem informationem se
ab eo exspectaturum esse scribit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 610.

N. 4863.

S.l., 14.IV.1559.

Albertus dux in Prussia

palatinæ Lanciciensi [Elisabeth de Sieprc Brudzewska]

*litteras, eius et sororis eius [Ursulae de Sieprc Lwowska, castellanae Covalien-
sis] nomine scriptas, se accepisse nuntiat et respondet in negotio, quod
cum subdito suo Alberto Finck de bonis quibusdam hereditariis [Mielno]
habet, cum debitam et legibus requisitam cautionem praestare noluerit, se
ei nullo modo contra iuris ordinem auxiliari potuisse, licitum tamen ei
fore, praestita cautione et designato tute, contra dictum Finck iure expe-
riri legumque via procedere.*

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1698.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 611-612.

N. 4864.

S.l., 14.VI.1559.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Ostrorög, castellano Miedzyrzecensi,

*100 talerorum summam mittit et rogat, ut eiusmodi pecuniam relictæ viduae
Eustathii olim Trepka ad manus tradere aut, si occasio non offerretur, per
certum nuntium transmittere velit; eidem viduae eiusque liberis in poste-
rum etiam gratificari promittit.*

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1708.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 612-613.

N. 4865.

*Albertus dux in Prussia
duci Suffolciae*

*oblata occasione exulis cuiusdam Angli in patriam redeuntis, eum coniugem-
que eius salutat et omnia fausta eis exoptat; eundem exulem commendat.
(Latine)*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 613-614.

S.l., 15.IV.1559.

N. 4866.

S.l., 1.VII.1559.

Albertus dux in Prussia

*Petro Chwalczewski (Falschowski), succamerario Calissiensi, capitaneo Cnis-
sinensi,*

*rogat, ut quendam Christophorum Sthrafkuss, homicidam et nebulonem, qui
in ditione eius apud quendam Stanislauum Pęski in Mikiczin nunc latitat,
comprehendi suisque impensis in Ducatum suum vinctum duci, aut sal-
tem tantisper detineri curet, ut legitima iuris via contra eum procedi pos-
sit.*

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1706.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 615-616.

N. 4867.

Albertus dux in Prussia

S.l., 15.VII.1559.

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*pro concessa sibi facultate trecentos boves pro aulae suaे necessitate per
Regnum libere agendi gratias agit; petit ad telonearios quoque in Samo-
gitia et Lithuania sibi litteras dari ad sexcentos boves inde libere pellen-
dos, quibus ad sustentationem praesidiariorum militum in castris suis
Memel, Ragneta et aliis opus se habere affirmat.*

(Latine)

Cfr. El. XXXI, N. 777.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 616-617.

N. 4868.

S.l., 15.VII.1559.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,

*rogat, ut litteras ad Samogitia et Lithuaniae telonearios ad sexcentos boves
libere, sine vectigalium solutione exigendos, qua de re ad regem se scrip-
sisse nuntiat (cfr. N. praeced.), edendas iuvet.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 617-618.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae*

S.l., 18.VII.1559.

nuntiat matrem Christophori ducis Megapolensis, coadiutoris Rigensis, in Livonia degere et filio persuadere conari, ut coadiutoriae dignitati prorsus renuntiet et Livonia excedat, et indicat, quod inde periculum exoriri possit; rogat, ut rex archiepiscopum Rigensem et ecclesiae illius capitulum per litteras hortetur, ne voluntati ducis Christophori de resignanda dignitate coadiutoria locum dent.

Cfr. El. XXXI, N. 779.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 628-633.

Regi Poloniae, 18 Iulii.

Scribit matrem Ducus Christophori Megapolensis¹⁾ in Livonia hoc agere, ut filium inde extrahat, additque consilia, quibus hi conatus frangantur etc.

Serenissime Rex, Domine Clementissime et Consobrime Charissime.

Quam clementer S. Regia Vestra Maiestas rebus Reverendissimi et Illustris Domini Christophori, Coadiutoris archiepiscopatus Rigensis et Ducus Megapolensis, consuluerit, nemo est qui nesciat, ut quae nulli parcens [f. 629] sumptui, labori, curae seu diligentiae in iuvanda Illustritate Sua provehendisque commodis illius se et Regem necessarium et Dominum benignissimum praebuit, ut Illustritas Sua vicissim S. Regiae Vestrae Maiestati plurimum et gratitudinis et amicorum studiorum merito debeat. Ac non Illustritas tantum Sua, sed omnes ii, qui necessitudine illam vel propinquitate attingunt. Quia vero res alio cadere velle videtur, non putavi S. Regiam Vestram Maiestatem celandam esse predicti Domini Coadiutoris parentem¹⁾ in Livonia degere. Quae quid istic agat, etsi mihi non constat, perfertur tamen ad me hortatricem esse filio, idque suadendo permovoendoque conari, ut coadiutoria dignitate prorsus se abdicando terris illis excedat. Quae res non parum animum meum percultit. Quod mecum reputo, quantum id incommodi allaturum esset expectationi S. Regiae Vestrae Maiestatis, ratione earum terrarum conceptae, sic sane, ut si Illustritas Sua hoc tempore inde recederet, Ordo sibi id juris sumpturus esset in archiepiscopatu Rigensi, quod in civitate Revalensi sibi vendicavit. Cui rei iam a multis annis intentus fuit idque [f. 630] egit sedulo, ut electo Domino Archiepiscopo²⁾ solus toto archiepiscopatu potiretur. Quam autem illud non sine praeiudicio et amissione protectorii iuris, quod S. Regiae Vestrae Maiestati in archiepiscopatu Rigensi competit, verum etiam magno impedimento ad alia, de quibus S. Regiae Vestrae Maiestati constat, futurum esset, facile S. Regia Vestra Maiestas perspicit.

Etsi autem ad consilium hoc matris quoquo modo subvertendum, deque non permittendo Domino Coadiutori, ut terris illis emigret, tam ad Reverendissimum fratrem meum, quam Ecclesiae illius collegium literas dedi, volui tamen et S. Regiam Vestram Maiestatem huius rei certiores reddere. Ac meo quidem iudicio expedire arbitror, si S. Regia Vestra Maiestas suis quoque literis Reverendissimum Dominum Archiepiscopum capitulumque illius hortaretur, ut ne voluntati Domini Coadiutoris de resignanda dignitate coadiutoria locum aliquem faciant, neve indulgeant, si quid cogitare illum intellexerint de terris illis deserendis. Quantu enim constiterit S. Regiae Vestrae Maiestati aliisque, quantasque impensas illa, labores denique et curas sustinuerit in promovenda eo usque Illustritate

Sua, obscurum illis non esse. Quae cum a S. Regia Vestra Maiestate non alio animo profecta sint, quam quod pro iure protectorio et recte et bene archiepiscopatui consultum cupiverit, nihil sane minus, quam eiusmodi aliquid, a gratitudine alienum se suspicaturam esse.

In literis Domini [f. 631] Archiepiscopi illud quoque annexendum putarem. Quam ea res cum dedecore et Margiticae³⁾ et Megapolensis familiae futura esset, si Dominus Coadiutor contra fidem datam periclitantibus iam Livoniae terris se subduceret, ubi pro hoc tempore ita constituta sunt in illis omnia, ut certo aliquo imperatore seu capite carere quasi videantur, cum quod electi Magistri Furstenbergii authoritas non magni a plerisque istic fieri dicatur, tum quod Coadiutor illius⁴⁾ apud Romani Imperii Principes abest. Reverendissimus autem Archiepiscopus propter aetatem et valetudinem affectam administrationi ei sustinendae impar est, ut si alias unquam, praesentia Domini Coadiutoris iis in terris nunc potissimum necessaria, ipsius etiam Illustritati honorifica et cum amplitudine coniuncta sit futura. Et quae praeterea S. Regia Vestra Maiestas iudicio suo prudentiore magis apposite ad hortandos monendosque illos his addenda esse duxerit. Arbitrio etiam S. Regiae Vestrae Maiestatis relinquo, an non in eandem sententiam, iisdem etiam, sicut ad Dominum Archiepiscopum, argumentis ipsum quoque Illustrem Dominum Ducem Christophorum a proposito persuadendum dehortandumque existimet.

[f. 632] Posset S. Regia Vestra Maiestas iis in literis tacitae obiectioni occurrere, quod si periculi magnitudinem fortassis formidaret, securam et bono esse Illustritatem Suam animo iuberet. Pro iure enim protectorio, sicut in ipso initio, ita deinceps quoque Illustritatis Suae et archiepiscopatus Rigenis curam non deposituram esse S. Regiam Vestram Maiestatem. Non ab eo quoque S. Regia Vestra Maiestas factura videretur, si negotium hoc ad Illustrem Dominum Ioachimum Electorem Marchionem Brandenburgensem perscriberet peteretque, ut Illustritas Sua eundem Dominum Coadiutorem ab instituto (si quid eius in animo haberet) parentemque illius a consulendis iis retraheret, quamque ignominiosum, si terras eas periclitantes nunc Illustritas Sua desereret, hoc Marchionibus non tantum, sed universae propinquorum Principum familiae futurum sit, ostenderet. His et illud accedere, quod timendum sit, si Illustritas Sua resignata dignitate coadiutoria terris illis excederet, nunquam posthac aliquem de Principum stirpe ad eam provinciam admissum iri. Quae res quantum dedecoris omnibus Germaniae Principibus, quantumque offensae datura esset, si causam Dominus Coadiutor ei rei praeberet, obscurum nemini esse. Illud autem his rationibus adductus consulo, quod Dominus Dux Christophorus arcta cognatione eidem Domino Electori [f. 633] coniunctus⁵⁾ et consilio illius audiens est, tum quod inscia Illustritate Sua ipsum nihil sibi sumere intelligo. Verum hoc quoque, sicut praedicta omnia, magis excellentiori S. Regiae Vestrae Maiestatis arbitratui relinquo. Quae ut me informatore minime indiget, ita his rebus, prout expedire duxerit, recte procurandis occurrendisque iis, quae hinc eventura esse facile S. Regia Vestra Maiestas perspicit, nihil curae praetermissuram esse illam plane confido. Factura S. Regia Vestra Maiestas rem vel sibi ipsi non inutilem, mihi vero quovis obsequii genere demerendam. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae.

1) *Anna, marchionissa Brandenburgensis, uxor Alberti IV ducis Megapolensis.*

2) *Gulielmus, marchio Brandenburgensis, archiepiscopus Rigenis.*

3) ?

4) *Gottardus Kettler.*

5) *Ioachimus II, elector Brandenburgensis, erat avunculus Christophori ducis Megapolensis (frater matris eius Annae).*

N. 4870.

S.l., 18.VII.1559.

Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
rogat iterum, ut rex particulas finium controversas revera sibi tradi iubeat.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 633-638.

N. 4871.

S.l., 18.VII.1559.

Albertus dux in Prussia
Eustachio (Ostaphio) Wottowicz, M.D.L. marscalco,
sororinum eius [Ioannem Wiesiotowski], in Academiam Regiomontanam stu-
diorum causa misum, sibi commendatissimum fore nuntiat; petit, ut
operam suam apud regem interponat, quo particulas controversas in fini-
bus Lithuaniae sitas, ad regis et suam decisionem a commissariis reiec-
tas, consequi possit; addit se per septimanias aliquot earum particularum
traditionem, per castellum Trocensem [Hieronymum Chodkiewicz]
faciendam, Tilsae frustra exspectasse.
(Latine)
Cfr. El. XL, N. 1690.
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 618-620.

N. 4872.

S.l., 18.VII.1559.

Albertus dux in Prussia
Philippo Padniewski, R.P. vicecancellario,
pro officiis sibi oblatis gratias agit et operam eius expetit in particulis in fini-
bus Lithuaniae controversis sibi tradendis.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 623-628.

N. 4873.

S.l., 18.VII.1559.

Albertus dux in Prussia
Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
de particulis finium controversis iuxta provisionem regiam sibi tandem tra-
dendis.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 638-642.

N. 4874.

S.l., 21.VII.1559.

Albertus dux in Prussia

*Eustachio Wołłowicz, M.D.L. marscalco,
se petitioni eius satisfecisse nuntiat et nepoti eius, Ioanni Wołłowicz, invi-
sendi parentes facultatem dedisse.*

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1718.

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 642.

N. 4875.

S.l., 22.VII.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*rogat, ut rex in controversia, inter Achatium Czema, palatinum Marienburgensem, et Ioannem Kostka de Stangenberg, castellanum Gedanensem et ter-
rarum Prussiae thesaurarium, intercedente, «pro evitando graviore peri-
culo, utranque partem primo quoque tempore opportuno ad se citare,
de causa ipsorum cognoscere et quod aequum iustum est, inter ipsos
statuere dignetur» («cum ex eiusmodi privatis dissensionibus graviora
nonnunquam soleant oriri certamina, quae tandem ad Reipublicae
perniciem spectant»).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 645-646.

N. 4876,

S.l., 22.VII.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*pro marscalco provinciali Livoniae [Caspare a Münster] iterum intercedit et
rogat, ut rex, exilii eius misertus, «apud Livoniae magistrum [Gulielmum
a Fürstenberg] porro urgere et contendere ne desistat, ut si non ad pri-
stinam dignitatem locumque redire ei liceat, honorifica tamen illius
ratio habeatur»; de eiusdem marscalci statu et condicione Venceslaum
Schack, consiliarium suum, regi relaturum esse nuntiat; commendat
deinde negotium Melchioris Kirchoff, consulis Rigensis.*

(Latine)

Cfr. El. XXXI, N. 781.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 646-648.

N. 4877.

S.l., 22.VII.1559.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
marscalcum Livoniae exulem [Casparem a Münster], cuius condicionem eum
ex Venceslao Schack, consiliario suo, cognitum esse scribit, atque nego-
tium Melchioris Kirchoff, consulis Rigensis, iterum commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 643-644.

N. 4878.

S.l., 22.VII.1559.

Albertus dux in Prussia

*R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski]
pro marscalco provinciali Livoniae [Caspare a Münster] et Melchiore Kirchoff,
consule Rigensi (cfr. N. praeced.).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 648-650.

N. 4879.

S.l., 22.VII.1559.

Albertus dux in Prussia

*R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski]
pro Nicolao Gorges, subdito regio ex pago Wernersdorff [Pogorzała] districtus
Marienburgensis, cui ab advocate Marienburgensi, Ioanne Kostka, magna
iniuria illata est, «siquidem ipsum cum uxore et parvis liberis decem,
pendente appellatione et regia citatione, omnibus bonis et fortunis suis
exuit», intercedit et petit, ut operam suam pro eo apud regem interponat,
quo iuxta sententiam a senatoribus terrarum Prussiae in proximo con-
ventu Marienburgensi latam in integrum restituatur.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 650-651.

N. 4880.

S.l., 22.VII.1559.

Albertus dux in Prussia

*episcopo Plocensi [Andreae Noskowski]
pro responso in negotio regundorum finium sibi dato et certo conventus com-
missariorum tempore statuto gratias agit; diem diiudicandis limitibus
constitutum sibi placere nuntiat et rogat, ut collegas suos ad id negotium
terminandum hortetur.*

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1710.

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 651-653.

N. 4881.

S.l., 22.VII.1559.

Albertus dux in Prussia

*Stanislao Ostroróg, castellano Międzyrzecensi,
pro eius in se propensione gratias agit; ad postulata autem eius quod attinet,
respondent se tenutam castri Soldaviensis pro certa pecuniae summa ei
vendere vel impignorare non posse, nec alia in Ducatu suo venalia vel
pignoraticia bona, praeter Insulam Marianam (cuius tamen «reditus
annuatim in certos quosdam usus iam pridem extra aerarium nostrum
deputati sunt»), habere.*

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1708.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 653-658.

N. 4882.

S.l., 24.VII.1559.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae
iterum pro Stanislao Skaszewski, capitaneo Jurborgensi et Bothocensi, interce-
dit et petit, ut aliquot mansos agri in provincia Berzanensi ei clementer
assignari iubeat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 665-667.

N. 4883.

S.l., 24.VII.1559.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwiłł, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
rogat, ut pro Stanislao Skaszewski operam suam apud regem interponat, quo
aliquot mansos agri in provincia Berzanensi obtinere possit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 658-660.

N. 4884.

S.l., 24.VII.1559.

Albertus dux in Prussia

*Stanislao Skaszewski, capitaneo Jurborgensi et Bothocensi,
pro regis Vilnam ingressu sibi significato gratias agit; mittit litteras commen-
daticias ad regem, quas expetiverat, una cum adiunctis litteris pro eo
intercessoriis fratris sui Gulielmi, archiepiscopi Rigensis.*

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1704.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 660-661.

N. 4885.

S.l., 24.VII.1559.

*Albertus dux in Prussia
archiepiscopo Gnesnensi [Ioanni Przerembski]
de affine eius Ioanne Kostka, advocato arcis Marienburgensis, qui anno 1556
proconsuli civitatis suaे Bischofswerder gravem iniuriam intulerat, ite-
rum queritur et rogat, ut affinem suum hortetur, quo proconsuli suo pro
iniuria illata satisfaciat et gratiam quoque suam imploret.*

(Latine)

Cfr. El. LXVIII, N. 4741.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 662-664.

N. 4886.

S.l., 24.VII.1559.

*Albertus dux in Prussia
Stanislao Ostrorög, castellano Międzyrzecensi,
nuntiat pecuniam, quam uxor Eustathii Trepka a se postulavit, ex aerario suo
per [Iacobum] Cuchlerum ei missam non esse, cum tunc temporis ipse
Trepka in aula sua adfuerit («nihilque Cuchlero datum esse, quod ad
eundem Trepka tum praesentem ferre potuisset»), et rogat, «ut ne
fraudi hoc esse Cuchlero patiatur».*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 667-668.

N. 4887.

S.l., 25.VII.1559.

*Albertus dux in Prussia
Stanislao Ostrorög, castellano Międzyrzecensi,
locum conventui theologorum celebrando civitatem Elbingensem, tempus vero
post absolutam messem proponit, diem assignandum arbitrio eius relin-
quit.*

(Schedula: excusat se, quod currum promissum tardius missurus sit),

Cfr. El. XL, N. 1708.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 620-622.

Stanislao Ostrorog, XXV^a Iulii.

De conventu theologorum in civitate Elbingensi, ut diem assignet.

Magnifice ac Generose, Amice ac Frater nobis singulariter dilecte.

Obsignatis alteris iam literis nostris, venerunt nobis in mentem literae
Magnificentiae Vestrae, quibus a nobis petit, ut assensu nostro facultas
detur theologiae nostris conveniendi in oppido nostro Marienwerder¹⁾. Velle

enim illic Magnificentiam Vestram cum suis quoque adesse, et sperare eo et Reverendum Dominum Ioannem de Lassko venturum esse. Nos ut nihil antiquius ac prius nobis ducimus, quam bene de Ecclesia mereri, inque aedificanda ea et consensu illius iuxta doctrinam Christi ac Apostolorum sacrorumque bibliorum scripta vero conservando, nihil studii seu laboris, quantum in nobis est, neglectum volumus, ita non repugnamus, quominus is conventus habeatur. Locum autem ad id non esse commodiorem videamus civitate Elbingensi, cum propter tranquillitatem eius urbis, tum hospitorum et victualium copiam. Quodsi eo Magnificentia Vestra conveniendum putaverit, poterit id nobis significare, ut nostris eam quoque rem demandemus. Tempus autem conventui conveniens tum primum fore arbitramur, ubi messis absoluta fuerit. Diem assignandum arbitrio Magnificentiae Vestrae relinquimus. Precamur autem aeternum Patrem [f. 622] Domini nostri Iesu Christi, ut is conventus cedat ad gloriam Dei propagandam et unanimem, quam nos amplexi sumus et profitemur, religionem veram, solidam et incorruptam, petimusque amanter, ut, si fieri poterit, Reverendum quoque virum Ioannem de Lassko secum eo adducat, ut collatis utrinque sententiis consensus in doctrina unus et verus constituatur. Ignoscat autem Magnificentia Vestra nobis, quod ternas ad illam literas damus, cum unis omnia comprehendi potuissent. Quemadmodum autem propter multas occupationes per intervalla singula nobis in mentem redierunt, ita etiam nobis scribendum fuit. Quod superest, Magnificentiam Vestram rectissime valere optamus. Datae.

Cedula

Ceterum quandoquidem currum Magnificentiae Vestrae missuros esse nos recepimus, amanter et fraterne petimus, quod expectationi ejusdem tardius, quam par est, satisfacimus. Culpa enim non in nobis, sed in officiis est, qui negligenter officium suum faciunt. Quam primum autem is paratus erit, vehendum ad Magnificentiam Vestram curabimus. Datum ut in literis.

1) *Insula Mariana (Kwidzyn).*

N. 4888.

S.l., 14.VIII.1559.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
litteras eius, Vilnae 27.VII. datas, se accepisse nuntiat et ex eis cognovisse
regem Georgio Wołłowicz, tribuno Grodnensi et capitaneo Mscibohovien-
si, mandasse, ut silvas Grodnenses perlustraret et de dannis per subditos
suos subditis regiis illatis cognosceret; respondet sibi de eiusmodi dannis
nihil constare, et ut in posterum id genus querelis occurratur, rogat, ut rex
commissarios ad limitum determinationem designare velit.*

(Latine)

Cfr. El. XXXI, NN. 779, 784.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 668-670.

N. 4889.

S.l., 28.VIII.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

controversia limitum inter districtum regium Bratianensem et arcem suam Ilaviensem ob absentiam palatini Culmensis [Ioannis Działyński] non composita, queritur de gravibus iniuriis, a factore seu dispensatore eiusdem palatini subditis suis illatis, et rogat, ut rex palatino Culensi serio mandare velit, quo subditis suis pro damnis satisfaciat; petit etiam, ut rex – controversia inter palatinum Marienburgensem [Achatium Czema] et castellanum Gedanensem, Ioannem Kostka, in dies crescente – «eam rem non negligat, sed primo quoque tempore ipsis diem statuat ac de controversia coram cognoscat eamque clementer componat».

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 671-674.

N. 4890.

S.l., 28.VIII.1559.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,

pro Christophoro Fortenbach de Reichenschwank Vilnam profecturo, qui cum in Regium Montem usque pervenisset, «triste nuntium accepit de affecta et morti proxima parentis sui valetudine, coactus est institutam profecionem intermittere», intercedit et rogat, ut hanc ei moram ignoscere velit.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 670-671.

N. 4891.

S.l., 29.VIII.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Christophoro Fortenbach de Reychelszwang (vel Reichenschwank) Vilnam profecturo, qui propter patris male affectam valetudinem domum revocatus, institutam iam profecionem intermittere coactus est, intercedit et rogat, ut «hanc illius regressionem damno alicui ei esse ne patiatur, sed negotium, quod cum Thorunensibus habet, usque in adventum consiliarii mei suspendat».

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 678-680.

N. 4892.

S.l., 29.VIII.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*pro subditis suis Maraunensibus, diuturnam controversiam cum heredibus
Lucae Ketting, civis olim Gedanensis, habentibus, intercedit et rogat, ut
«huic rei decidenda et componenda certos commissarios ex parte
sua, cives Gedanenses, videlicet Augustinum Williger et Ioannem
Schachman, ad certum diem deputare ac constituere» velit, quibus se
etiam binos adiuncturum esse nuntiat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 674-675.

N. 4893.

S.l., 29.VIII.1559.

Albertus dux in Prussia

Adamo Wilkanowski, castellano Visnensi,

*nuntiat se a subdito suo, Georgio Lanckoroński (Lanskorunski), de benevo-
lentia eius quibusdam subditis suis exhibita cognovisse; quod sibi
cognitu iucundissimum fuisse scribit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 677-678.

N. 4894.

S.l., 29.VIII.1559.

Albertus dux in Prussia

Claudio Drohocio (vel Dorothio)

*pro consiliis Livoniensium sibi accurate communicatis gratias agit et victo-
riam de hostibus reportandam a Deo precatur.*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 676-677.

Claudio Drohocio, 29 Augusti.

Placet sibi, quod de consiliis Livoniensium accurate scribit, quodque
ad duos menses adhuc operam suam addixit. Precatur felicitatem etc.

Generose, Fidelis nobis dilecte.

Accepimus literas Generositatis Tuae, XIII Augusti Rigae datas. Ex
quibus et praesentem Livoniae statum et consilia, quae nunc istic agitan-
tur, de expeditione contra Moschum suscipienda ex parte cognovimus. Pro
quo quidem scribendi officio, et quod haec omnia accurate nobis Genero-
sitas Tua significavit, magnas illi habemus gratias. Quod autem ad priores
Generositatis Tuae literas [f. 677] nihil hactenus rescriptsimus, eo factum
est, quod eius ad nos redditum indies expectabamus eamque rem omnem ad
praesentem colloquitionem differendam statuimus.

Ceterum quod Generositas Tua operam suam adhuc Livoniensibus ad
duos menses addixit, id nobis magnopere placet, ac speramus toti provin-

ciae profuturum. Cupimus itaque eam rem Generositati Tuae bene evenire precamurque ei felicitatem et successum ad omnia negotia prospere auspicanda et conficienda. Deus Optimus Maximus et consilia et conatus vestros omneis bene fortunet faxitque, ut laeta ab hostibus crudelissimis reportetur victoria. Quod ipsum ex animo optamus et petimus. De bello Ducis Sabaudiae¹⁾, de quo Generositas Vestra mentionem suis literis fecit, nihil nobis constat. Speramus autem Deum Optimum Maximum ita rem moderaturum, ut ne Generositati Tuae eiusve familiae aliquid inde incommodi accidat. Bene valeat Generositas Tua. Datum.

C[onstantinus] S[ilvius]

1) *Emmanuel Filibertus.*

N. 4895.

S.l., 30.VIII.1559.

Albertus dux in Prussia

*Stanislao Ostrorög, castellano Miedzyrzecensi,
dolet, quod petitioni eius de concedendis ei bonis quibusdam in Ducatu suo
satisfacere non possit; locum celebrando conventui theologorum oppidum
Insulam Marianam proponit; de Ioanne Łaski eidem conventui non inter-
futuro dolet, sed sperat veritatem evangelicam et unionem religionis in eo
suscepsum iri; de benevolentia viduae Eustathii Trepka exhibita tanta gra-
tiarum actione opus non fuisse scribit; currum mittit.*

(Schedula; aulicum suum et eius negotium commendat).

Cfr. El. XL, N. 1708.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 680-685.

Stanislao Ostrorog, 30 Augusti.

Defert vicissim amicam benevolentiam. Esset sibi gratum, si bona dignitati ipsius convenientia in Ducatu suo invenirentur. De conventu theologorum in oppido Marienwerder¹⁾, cui diem assignari petit. Mittit currum etc. Item de vidua olim Eustachii Trepkae.

Magnifice ac Generose, Amice ac Frater nobis singulariter [f. 681] dilecte.

Quo maiore animi propensione ac innato quodam amoris affectu Magnificentiam Vestram in nos ferri, quanquam ab ipso usque contractae inter nos notitiae temporis momento multis haec in nos argumentis sincere ac candide extitis nobiscum perpendimus, tam nobis est dolori per maximo, quod et pro dignitate illa compensare et postulatis Magnificentiae Vestrae, uti ex animo percuperemus, satisfacere, fatali nunc quasi ac incommodissima rationum nostrarum qualitate obstante, nobis non datur. Cum tamen in rebus multo maioribus, quoad eius fieri potest, amorem ei nostrum comprobare studeamus, verum cum Magnificentia Vestra ex proximis nostris literis obstantes causas easdemque certissimas et veras cognoverit, amice ac fraterne petimus, ut non secus eas accipiat aut interpretetur, neve id de nobis suspicetur, nos malevoli quasi seu Magnificentiae Vestrae invidentis cuiusdam consilio ductos, postulata illius posthabuisse. Absit a nobis, ut eum, quem ex animo diligimus, cuius etiam [f.

682] erga nos amorem nostro non inferiorem esse perspexerimus, eo loci habeamus, ut alicuius malevolentis consilio nos abduci ab eo, vel de nostro in illum affectu quicquam imminui passuri simus. Quin certo sibi certius Magnificentia Vestra id de nobis persuadeat, illam indissolibili nexu a nobis complecti, ac magnae nobis laetitiae et voluptati fore, si ipsa magis contigua aut vicinior nobis esse posset. Intellectura sane esset nos in redamanda illa et contestatiore reddenda benevolentia nostra Magnificentiae Vestrae non ita facile cessuros. Quidsi Magnificentia Vestra quoquo modo rationes ad id aliquas invenire ac in Ducatu nostro bona eiusmodi conquirere posset, quae ex dignitate illius futura essent, non modo non refragabimur, sed iucundissimum id nobis foret. Quod vero Magnificentia Vestra iterum atque iterum sua nobis studia amanter defert, facit hoc ex abundantia amoris in nos sui. Ut autem tanta eorum asseveratione minime ad nos opus fuisse (siquidem de fiducia in Magnificentiam Vestram nostra nihil remisimus neque remissuri sumus in posterum quicquam), ita vicissim voluntatem ei nostram promptissimam non minore gratificandi studio, [f. 683] non inferiore etiam sua in nos benemerita compensandi alacritate declarare immemors nunquam erimus.

Ceterum quod ad conventum theologorum attinet, eum nos propterea Elbingae habendum esse censueramus, quod illic et commodiora essent hospitia et victualium quoque copia. Quia vero Magnificentia Vestra causas adducit, cur victualium quoque copia. Quia vero Magnificentia Vestra causas adducit, cur subvereatur illum in ea civitate haberri non posse, non repugnabimus, quominus in oppido nostro Marienwerder conveniatur, ac mandabimus civibus illic nostris, ut tam de apparandis hospitiis, quam procurandis aequo pretio victualibus solliciti sint.

Quod vero Magnificentia Vestra Dominum de Lassko non affuturum scribit, propterea quod is non duci, sed ducere velit, expediret sane plurimum, si uno omnium consensu veritas evangelica iuxta Christi, Apostolorum sacrarumque bibliarum doctrinam propaganda susciperetur. Sed cum is in sua sententia ita persistat, ipse viderit. Nos ardentissimis votis aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi implorabimus, ut eorum conventum, qui [f. 684] istic aderunt, spiritu sancto suo regat, ut quam nos cum aliis ecclesiis unicam veram, solidam et incorruptam religionem divino ductu amplexi sumus, eadem quoque unanimi consensu in eo conventu recipiatur constituaturque, ac non modo per inclytum Poloniae Regnum longe lateque propagetur, sed ad alias quoque oras se diffundat messemque piorum numerosam reddat. Amanter autem petimus, velit Magnificentia Vestra nobis diem assignare, qua cum suis in dicto oppido nostro convenire velit, ut et nostri se eo temporius itineri accingere possint.

Gratiarum actione, quam uxorii Eustachii Trepkae²⁾ nomine ad nos defert, tam luculenta opus non fuisse. Quaecumque enim praestitimus et in studiis alendo viduae illius filio polliciti sumus, illa ex pietate christiana et ipsius quoque Trepkae defuncti meritis non gravatim a nobis profecta sunt.

Currum Magnificentiae Vestrae cum hisce mittimus. Temporius aliquanto misissemus, nisi opificum [f. 685] segnities in causa fuisse. Petimus autem amanter, ut pro qualicunque saltem nostrae erga Magnificentiam Vestram benevolentiae iudicio illum accipiat, boni consulat salvaque et incolumis in multos annos eo utatur. Atque haec Magnificentiae Vestrae rescribenda esse duximus, quam, sicut est, nostri amantissimam permanere cupimus. Nos de animo in illam veteri nostro ad extrema usque vitae tempora non recedemus. Quod reliquum est, Magnificentiam Vestram feliciter valere exoptamus. Datae.

Cedula

Ceterum etsi Iacobum Modrzewski³⁾, qui currum Magnificentiae Vestrae nostro nomine deferet, satis cognitum et antea commendatum esse arbitramur, tamen eundem quoque eiusque negotium, quod Magnificentiae Vestrae coram exponet, commendandum duximus, amanter petentes, Magnificentia Vestra ita eum adiuvet, ut intelligat nostram sibi intercessionem non mediocriter profuisse. Id amicis studiis compensare nitemur. Datum ut supra.

A[ndreas] M[untzer]

1) Kwidzyn (*Insula Mariana*).

2) Anna.

3) aulicus ducis Alberti.

N. 4896.

S.l., 30.VIII.1559.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
pro studio et opera in negotio finium Lithuaniae sibi oblata gratias agit
et idem negotium iterum commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 686-688.

N. 4897.

S.l., 30.VIII.1559.

Albertus dux in Prussia

*R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski]
rogat, ut regi submonitor esse velit eorum, quae sibi de controversis finium
particulis dare promiserat.*

(*Schedula: litteras, quibus Ioannes Frankowski, «publicus hostis
noster», publice proscribatur, edi petit, et illi, qui ipsi receptum et refu-
gium praebent, in eandem poenam condemnantur.*)

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 688-692.

N. 4898.

S.l., 30.VIII.1559.

Albertus dux in Prussia

*castellano Trocensi [Hieronymo Chodkiewicz]
rogat, ut regem submoneat eorum, quae de controversis finium particulis sibi
pollicitus est, et operam suam diligenter navet, quo tandem eiusdem regiae
promissionis compos efficiatur (cfr. N. praeced.).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 692-693.

N. 4899.

S.l., 30.VIII.1559.

Albertus dux in Prussia

episcopo Plocensi [Andreae Noskowski]

*de negotio regundorum finium, cui dirimendo commissarii iam deputati erant
et certus dies constitutus, propter grassantem pestem in aliud tempus dila-
to, dolet et rogat, ut, «donec Deus omnipotens... mitiorem et salubrio-
rem auram largiatur», in negotio hoc terminando nihil de studio suo
remittat.*

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1710.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 694-696.

N. 4900.

S.l., 31.VIII.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*Venceslaum Schack, consiliarium suum, mittit, ut negotium de tradendis sibi
finium particulis promoveri curet; rogat, ut eum audiat et munificentiam
regiam ei exhibeat; suadet, ut caveat, ne copiae ex Livonia recedentes ter-
ris regiis damnum inferant.*

Cfr. El. XXXI, N. 781.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 698-702.

Regi Poloniae, ultima Augusti.

*Mittit Venceslaum Schack, ut de tradendis limitum particulis sollicita-
tor sit caveatque, ne a militibus in recedendo ex Livonia hae terrae
damnum capiant.*

Serenissime Rex etc.

Quae S. Regia Maiestas [Vestra] tam de Illustri et Reverendissimo
Domino Coadiutore archiepiscopatus Rigensis¹⁾, quam finium Lituanicorum
negotio mihi respondere dignata est, ex literis illius ad me datis intel-
lexi. Ac primo quidem quod ad Dominum Coadiutorem attinet, non impro-
batur mihi prudens S. Regiae Vestrae Maiestatis sententia, ut tantisper
supersedeatur, donec tractatio Livonica suum fuerit finem sortita.

De finibus autem Lituanicis acquiesendum quoque mihi est S. Regiae
Vestrae Maiestatis responso, tametsi clementer ipsa meminit, quid iam pri-
dem eo nomine concluserit ac exequutioni etiam Domino Castellano Tro-
censi²⁾ demandaverit. Quam S. Regiae Vestrae Maiestatis in me clemen-
tiam uti minime in dubium voco, ita certo certius mihi persuadeo nunc
tandem S. Regiam Vestram Maiestatem iuxta [f. 699] regiam pollicitationem
voti me compotem facturam esse. Dedi autem negotium sollicitandi
eius rei nomine apud S. Regiam [Vestram] Maiestatem nobili illic consilia-
rio meo Venceslao Schak a Stangenberk. Quem ut S. Regia Vestra Maie-
stas clementer audiat ac de munificentia in me sua nihil remittat, sed ser-
vitoris veteris, fidelis tamen et ad quaevis obsequia S. Regiae Vestrae
Maiestatis paratissimi, memor esse dignetur, maiorem quo possum in

modum ac subiectissime oro. Pluribus haec a S. Regia Vestra Maiestate expeterem, nisi illam et promissorum memorem et gratia in me singulari propendenter esse scirem. Deus Optimus Maximus S. Regiae Vestrae Maiestati id largiter rependat, quod ego vel etiam heredes mei demerendo aquare non possumus. Ut maxime autem in eo facultas nos deficit, fidelitate tamen obsequiorum alteri non ita facile cessuri sumus.

Ceterum latere S. Regiam Vestram Maiestatem nolo, schedulam hisce inclusam hoc ipso die ad me perlata esse. Quae [f. 700] cum id habeat exercitum eum, qui Livoniensis a Sacro Romano Imperio suppetias feret, eo destinatum esse, ut rebus cum Moscho confectis Prussiae terras invadat, referre arbitror, ut S. Regia Maiestas (siquidem in omnem eventum vigilantem esse praestat) in iis tractatibus, quos cum Domino Coadiutore Magistri Livoniensis³⁾ prae manibus habet, ita sibi consulat, ne S. Regiae Vestrae Maiestatis terrae, ubi inter Moschum et Sacri Romani Imperii auxiliares copias proelio aut per contractum pacta, seu quovis alio modo res confecta vel transacta fuerit, in recedendo aliquid incommodi accipient, sed ut de indemnitate sibi bene caveri iubeat, siquidem fucatis huius saeculi coloribus non usque adeo fidendum est. Ego pro fide hac mea S. Regiae Vestrae Maiestati indicanda communicandaque, prout ad me perlata sunt, esse duxi. Sicut autem provisa pericula^{a)} minus feriunt, ita sapientem in hac mundi perversitate maxime oculatum esse convenit. Quemadmodum haec prudentius S. Regia Vestra Maiestas cum inclytis suis senatoribus dijudicaturam esse non dubito.

C[onstantinus] S[ilvius]

Sequitur schedula [ff. 701-702]: per Henricum a Dohna equum Frisium dono mittit (omittitur).

a) *in ms. specula*

2) Hieronymus Chodkiewicz.

1) Christophorus dux Megapolensis, coadiutor Rigenensis.

3) Gottardus Kettler, coadiutor Gulielmi a Fürstenberg.

N. 4901.

Albertus dux in Prussia

S.l., 31.VIII.1559.

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Ioanne Hegemone, regio munitionum bellicarum praefecto, ad regem proficidente, intercedit et rogat, ut ei rex «stipendium et provisionem annuam satis splendidam», liberaliter ipsi concessam, regio diplomate confirmare velit («saepe enim accidere dicit, ut novi praefecti et officiales in aula... elegantur, quibus de hac provisione sua nihil constet»).
(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 702-705.

N. 4902.

Albertus dux in Prussia

S.l., 31.VIII.1559.

Eustachio (Ostaphio) Wollowicz, M.D.L. marscalco, pro studio, quod in negotio finium Lithuaniae ei commendato impendit, gratias agit et rogat, ut porro etiam idem negotium tam apud regem, quam

apud ducem in Ołyka [Nicolaum Radziwiłł «Nigrum»] promoveat, quo tandem voti sui compos reddatur.
Cfr. El. XL, N. 1709.
Ostpr. Fol., vol. 55, f. 696-697.

N. 4903.

S.l., 6.IX.1559.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski]

de Ioanne Frankonowski, facinoroso subdito suo, tranquillitatis publicae violatore, novas hostilitates capitaneo et incolis civitatis suae Neidenburgen sis minitante, qui in episcopatu et palatinatu Culmensi, necnom in districtu Strassburgensi recens receptum habuit, queritur et rogit, ut contra illum litteras severiores edendas curet, ne regis iussa et mandata, contra illum edita, contemptui habeantur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 705-708.

N. 4904.

S.l., 8.IX.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Christophorum Alzunium, Pruthenum, commendat et rogit, ut in locum defuncti Stanislai Koszutski ad munus bibliothecarii regii admittatur.

Cfr. El. L, N. 580.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 709-710.

Regi Poloniae, 8 Septembris.

Pro Christophoro Alzunio.

Serenissime Rex etc.

Christophorus Alczunius, Prutenus, qui mihi propter eruditionem, probitatem et morum suorum integratatem vehementer commendatur, petiit a me demisse ad S. Regiam Maiestatem Vestram intercessione mea se iuvari. Quod quidem officii genus cum externis saepenumero praestare soleam hominiibus, subdito meo petenti denegare nolui. Petit autem, quoniam paucis ante mensibus S. Regiae Maiestatis Vestrae bibliothecarius, vir in primis clarus Stanislaus Kosucius, extrellum clausit diem¹⁾, ut in locum eius demortui substituatur et Bibliothecae S. Regiae Maiestatis Vestrae praeficiatur, spondens se in eo officio ita sedulum, industrium et vigilantem futurum, ut id S. Regiae Maiestati Vestrae placitum iri speret. Quare S. Regiam Maiestatem Vestram subiectissime oro, dignetur ipsum (quod cum commodo S. Regiae Maiestatis Vestrae fiat) voti sui compotem [f. 710] facere et ad munus bibliothecarii clementer admittere, ut intelligat meam hanc commendationem aliquid ponderis habuisse sibique non mediocriter

profusse. Daturus sum operam, ut hoc ipsum erga S. Regiam Maiestatem Vestram debitissim studiis et officiis vicissim promerer queam. Quam Christus omnipotens diutissime incolumem et praesentem conservet. Datum.

C[onstantinus] S[ilvius]

1) Stanislaus Koszutski, bibliothecarius regius
et poeta, obiit 4.IV.1559.

N. 4905.

S.l., 13.IX.1559.

Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
mandatarios suos, litteris regiis munitos, quibus sibi facultas concessa esset
emendi et sine vectigalium solutione expellendi ex Magno Ducatu Lithuaniae
boves sexcentos ad sustentationem praesidiariorum militum suorum,
a teloneario regio vexatos esse queritur, qui solutionem telonei ab illis
postularet; suspicatur igitur in scriptione litterarum errorem commissum
esse et novas huiusmodi litteras expedit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 716-718.

N. 4906.

S.l., 13.IX.1559.

Albertus dux in Prussia
Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
nuntiat se, idiomatis Ruthenici ignarum, non animadvertisse in litteris regiis,
quibus facultas sibi concederetur sexcentos boves ex Magno Ducatu Lithuaniae
sine telonei solutione exigendi, a scribente errorem commissum
esse, et rogat, ut novas huiusmodi litteras edendas curet (cfr. N. praeced.).
(Schedula: mittit litteras, de quibus scribit, ut errorem videre possit).

Cfr. El. XL, N. 1709.

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 714-715.

N. 4907.

S.l., 13.IX.1559.

Albertus dux in Prussia
Lucae a Górką, palatino Lanciciensi, et, mutatis mutandis, castellano Posnaniensi [Petro Czarnkowski]
litteras eius intercessorias pro filiis Ioannis Frankowski, ut liberi dimittantur, se accepisse nuntiat et respondet, cur petitioni eius locum dare non
possit; de novis «scelerati hominis» atrocitatibus queritur (qui i.a. «non
tantum contra fidem datam ex Ducatu nostro abiit, sed capitaneo

etiam nostro Neydemburgensi hostiles inimicitias denuntiavit ac paulo post praedium quoddam eius cum aedificiis et horreis imposito noctu igne flagitiose exussit »).

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 710-713.

N. 4908.

S.l., 13.IX.1559.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski]

Stanislao Myszkowski, capitaneo Marienburgensi, curandae valetudinis causa in Italiam profecto, rogat, ut in eius locum in negotio limitum inter districtum Bratianensem ex una et Ilaviensem Schonbergensemque praefecturam ex altera partibus regundorum Eustachius a Knobelsdorf, episcopi Varmiensis [Stanislai Hosii] vicestenens, subrogetur.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 718-719.

N. 4909.

S.l., 29.IX.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

negotium Christophori Fortenbach de Reichenschwank, quod cum Toruniensibus quibusdam ei intercedit, ad quod curandum et promovendum doctorem Christophorum Ionam, consiliarium suum, mittit, iterum commendat.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 722-724.

N. 4910.

S.l., 29.IX.1559.

Albertus dux in Prussia

Eustachio Wołłowicz, M.D.L. marscalco,

doctorem Christophorum Jonam, consiliarium suum, ad regem mittit, ut causam Christophori Fortenbach de Reichenschwank, cum quibusdam Toruniensibus ei intercedentem, promoveat, commendat.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 719-720.

N. 4911.

S.l., 29.IX.1559.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, et, mutatis mutandis, episcopo Vilnensi [Valeriano Protasewicz] et R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski] doctorem Christophorum Jonam, consiliarium suum, negotium Christophori Fortenbach curaturum ad regem missum, commendat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 721-722.

N. 4912.

Soldaviae, 29.IX.1559.

Albertus dux in Prussia

Adamo Wilkanowski, castellano Visnensi, pro subditis suis districtus Neidenburgensis, «curam apiariam sustinentibus», quibus ab incolis pagi Zembrzus (Sambrzuch) atque aliis sub iurisdictione eius constitutis, graves iniurias esse illatas queritur, intercedit et postulat, ut eiusmodi criminis rei debitum poenis subiciantur, subditis vero suis mel ablatum et vestes abreptae restituantur; postulat quoque, ut Ioanni Wendel et Matthiae Rapatal, civibus Neidenburgensibus, equi in territorio eius in via publica adempti reddantur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 730-731.

N. 4913.

Soldaviae, 30.IX.1559.

Albertus dux in Prussia

palatinæ Lanciciensi [Elisabeth de Sieprc Brudzewska] petenti ei, ut negotium, quod ei cum Alberto Finck (vel Finka), iudice terrestri Hohensteinensi, intercedit, in suo iudicio curiali determinari ac finiri possit, respondet Ducatus sui leges prohibere, «ne id ipsum negotium in alio iudicio coeptum ad nostrum supremum curiae iudicium recipiat»; se iudicibus districtus Hohensteinensis mandasse nuntiat, ut quae ius et aequitas postularet, ei administrarent.

(Latine)

Cfr. El. XL, NN. 1712, 1716.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 731-733.

N. 4914.

Neidenburgi, 1.X.1559.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae et, mutatis mutandis, R.P. vicecancellario
[Philippo Padniewski]*

*Christophorum Jonam, consiliarium suum, iuris utriusque doctorem, ei quae-
dam relaturum mittit et rogat, ut nomine suo loquenti plenam fidem
habeat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 733-734.

N. 4915.

S.l., 2.X.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*pro Valentino Stollio, servitore suo, cum affine suo Ioanne Nicolai, cive Gedan-
ensi, ratione hereditatis ex morte sororis suae sibi competentis causam
habente, iterum intercedit.*

(Latine)

Cfr. El. XXXI, N. 772.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 727-729.

N. 4916.

S.l., 2.X.1559.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicencellario [Philippo Padniewski]

*pro Valentino Stollio servitore suo, cuius negotium ad tribunal regium devo-
lutum est, intercedit et rogat, ut causam eius sibi commendatam habeat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 726-727.

N. 4917.

S.l., 2.X.1559.

Albertus dux in Prussia

palatino Cracoviensi [Stanislao Tęczyński]

*nomine Christophori Fortenbach de Reichenschwank ei gratias agit pro eo,
quod Georgium Eschbach, «quem istic certis et gravibus de causis cap-
tivandum fecit», hucusque in custodia detineat, et rogat, «ut praenomi-
natus Georgius Eschbach tam diu istic captivus asservetur, donec ipse
Christophorus eo redire et in sua praesentia negotium cum eo univer-
sum exequi et absolvere queat».*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 724-726.

N. 4918.

Osterodae, 8.X.1559.

Albertus dux in Prussia

Alexandro Itłowski, palatino Plocensi,

pro Andrea Gersdorff, subdito suo, qui nobili Iosepho Zieliński, sub iurisdictione eius constituto, «duobus plus minus abhinc annis arma, quae duobus hominibus... armandis sufficient, tum etiam bombardam minorem commodavit», intercedit et rogat, ut dicto Zieliński iniungat, quo Andreeae Gersdorff res commodato datas sine ulla tergiversatione restituat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 734-735.

N. 4919.

Osterodae, 10.X.1559.

Albertus dux in Prussia

Alexandro Itłowski, palatino Plocensi,

de Andrea Zieliński, qui praefecto et oppido suo Soldaviensi nulla iusta de causa inimicitias denuntiavit, et Andrea Patrykowski, qui scultetum pagi Korków «tormento manuario in via publica vulneravit», queritur et rogat, ut eorum audaciam coerceat, et ne quid simile in posterum faciant, interdicat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 735-737.

N. 4920.

Osterodae, 14.X.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro marscalco Livoniae, ad extremam miseriam redacto, intercedit et rogat, ut efficere velit, quo illi dignitati ipsius conveniens aliqua praefectura assignetur; item commendat negotium Ioannis Hoit, oratoris olim Ordinis Livoniensis; petit, ut rex sibi in mentem redigat, quid de limitibus controversis sibi pollicitus sit.

Cfr. El. XXXI, N. 784.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 740-748.

Regi Poloniae, 14 Octobris.

Pro Marschalco Livoniae.¹⁾ Huic cum ad intercessionem regiam assignata sit tenuissima et quidem accisa praefectura Windov, non habitatione tanti viri, orat, ut sibi S. Regia Maiestas eum commendatum habeat.

Serenissime Rex etc.

Cum mihi renuntiatum esset studio atque authoritate Regiae Vestrae Maiestatis effectum esse, ut Marschalco Livoniae, sua dignitate ac fortunis indigne spoliato, et pristina dignitas redderetur et praefectura certa, qua

interea frui posset, [f. 741] donec res Livoniae meliori in statu essent, a Magistro Livoniae²⁾ promitteretur, non modo levatam esse viri, causam Regiae Vestrae Maiestatis sequuti, calamitatem gaudebam, sed etiam in spem veniebam plurimum ea ratione in illa provincia et benevolentiae et authoritatis Regiae Vestrae Maiestati accessurum. Verum ex hac mea spe et gaudio non parum decerpserunt literae, nuper admodum ad me a Marschalco datae, ex quibus intellexi, quae magnifice satis a Magistro Livoniae praemissa^{a)} sunt, valde exiliter re ac factis comprobata. Nam ex tribus, quae propositae erant, praefecturis tenuissimam Windou nomine Marschalco daturum se professus est, eamque (quod indignus est) admodum accisam, ut ex qua praecipua curia commendatori cuidam relinquenda nominatim excipiatur. Equidem non potui non dolere vicem hominis, tamdiu iam fortunae iniquitate afflicti, qui cum beneficio Regiae Vestrae Maiestatis recreatus videretur, nunc in summo discrimine versatur, ne malevolorum iniuria de confirmata iam salutis spe deiiciatur.

Quae res facit, ut [f. 742] omnino in eam adducar sententiam, de industria id ab adversariis quaesitum, ut eo pacto et Vestrae Regiae Maiestatis authoritas apud suos imminueretur, et contemptus ipsi Marschalco passim crearetur. Videntur enim ostendere voluisse parum esse in Regia Vestra Maiestate iis praesidii positum, qui se in fidem et tutelam Regiae Vestrae Maiestatis contulerunt. Haec persuasio si in animis hominum radices egerit, facile intelligi potest, quantum ea ex re de fama atque existimatione Regiae Vestrae Maiestatis decessurum sit. Iam Marschalcus, quis non videt, quam palam despectus ac tantum non irrisus sit? Cum ei dignitatis potius nomen, quam dignitas ipsa redditiva videatur. Principio enim in extremum totius Livoniae angulum in maritima ora, longissime ab omnibus Regiae Vestrae Maiestatis provinciis, longissime a conspectu hominum velut ignominiae causa detruditur. Quod vero gravius est, reditus ipsi assignantur, qui haud scio, an tribus aut ad summum quattuor mi- [f. 743] nistris alendis sint satis. Id an huius aetatis, huius dignitatis viro conveniat, Vestra S. Regia Maiestas pro sua prudentia aestimabit, cum etiam privati, exiguis facultatibus nisi negotiisque familiaribus tantummodo occupati, maiore comitatu utantur. Nihil nunc dico, quam indecorum sit futurum eum, qui antea florente fortuna centum aut eo amplius equitum caterva stipatus fuerit, nunc cum eadem dignitas ipsi restituta dicatur, vix privatum numero famulorum aequare, qui que septem arcium praefecturas tenuerit, magno negotio semipraefecturam impetrare potuisse. Illud certe longe gravissimum est, cum facultatibus exutus in diurno hoc exilio vitare non potuerit, quin aes alienum conflaret, si sumptus necessarii deducantur, nihil superesse, quo fidem suam liberare ac creditoribus satisfacere queat.

In has difficultates studio bonum hominem ab ipsis coniectum verisimile est, quod odii ac malevolentiae, quanquam probe dissimulent, reliquias nondum plane abiecerunt. [f. 744] Ac tametsi magnificaes pollicitationes nullam magnopere animi alienationem prae se ferant, tamen ita existimo, si quid concedunt, non tam ex prompta ac benevola animi voluntate proficisci, quam gratificandi Regiae Vestrae Maiestati necessitate. Neque vero credendum est, licet eam causam praetendant, quod Livonia in iis sit angustiis, non posse maiorem Marschalci haberi rationem, cum id facile distributio praefectoriarum nuper adeo facta manifeste redarguat. Nam ceteris omnibus, etiam iis, qui sub eius olim imperio fuerunt, meliores praefectoriae, ex eo quoque numero, quas ipse antea tenuit, sunt attributae. His non levibus argumentis ducor id agi, nisi mature occurratur, ut et

Regia Vestra Maiestas de summa authoritate, quam apud omnes populos suo iure obtinet, in periculum veniat, et Marschalcus, in extremam deductus miseriam, non parvam ignominiam subeat. Sed cum Regiae Vestrae Maiestatis plurimum interest nomen ac gloriam Regiae Vestrae Maiestatis illibatam ubique conservari, tum etiam clementiae Regiae Vestrae Maiestatis proprium esse existimo non [f. 745] pati eos, quos Regia Vestra Maiestas semel tuendos susceperebit, contumelis adversariorum indigne affici.

Quapropter non solum Regiam Vestram Maiestatem vehementer horitor, sed meo etiam nomine supplex oro, ut Regia Vestra Maiestas in hanc Marschalci causam quanto potest conatu incumbat, utque a Magistro Livo-niae contendat, quo Marschalco, qui resignatis tot proventibus usque ad meliora tempora mediocribus contentus est, praefectura Mitou una cum curia Berge aut Nerite decernatur. Quod si id obtineri non possit, ut ei saltem praefectura Doblin concedatur. Sin in proposito perstiterit, certe id a se impetrari patietur, ut cum tantum praefecturae Windu sit detractum, huic vicinam praefecturam Grabbin, quam nunc resignatione praefecti vacuam fore spes est, tanquam supplementum attribuat. In hoc negotio si se Regia Vestra Maiestas pro summa clementia ac christiano in calamitosos animo facilem praebuerit, tum a Deo Optimo Maximo Regiae Vestrae Maiestati [f. 746] praemia defutura non sunt, tum vero Marschalcum, qui antea quidem salutem, nunc etiam ornamenta salutis Regiae Vestrae Maiestati debet, totum sibi habebit devinctissimum. Ego quoque, quicquid Regia Vestra Maiestas in Marschalcum beneficij collocari, universum mihi ipsi a Regia Vestra Maiestate tributum esse existimabo.

Quod ad nobilem virum, Ioannem Hoyten³⁾, attinet, non minus Regiam Vestram Maiestatem enixe rogo, ut cum antea quoque in ipsius causa se benevolam praebuerit, nunc etiam, cum id occasio tulerit, negotium eius curae sibi esse atque ea in re commendationem meam multum habere momenti velit.

Praeterea ex literis Regiae Vestrae Maiestatis cognovi, Regiam Vestram Maiestatem diem Divo Urbano sacrum⁴⁾ praemisisse, quo id, quod de negotio finium inter Magnum Ducatum Lituaniae et meam ditionem inter Regiam Vestram Maiestatem et me constitutum est, exequutioni mandetur. Tametsi vero maluissem [f. 747] id quamprimum fieri, tamen cum causa per Regiam Vestram Maiestatem adducta sit gravissima, video dilationem eam fuisse non modo iustum, sed et necessarium. Mea tamen sententia commissarios eam ad rem designari, haud scio an sit opus. Ita enim inter Regiam Vestram Maiestatem et me convenit, ut si per commissarios limitum controversia non omni ex parte componeretur, nos ipsi praesentes loca finium nostrae inspectioni subiiceremus atque ita terminos certos communis consensu statueremus. Secundum eam conventionem postea commissariorum opera pleraque sunt definita, de quibusdam tamen locis nihil certi est eo tempore constitutum. Incidit deinde tempus, cum mihi cum Regia Vestra Maiestate Vilnae de limitibus controversis sermo haberetur (id quod Regiam Vestram Maiestatem optime meminisse arbitror), ut Regia Vestra Maiestas mihi clementer polliceretur, se quicquid superesset locorum, de quibus adhuc disceptatio esset, mihi benigne [f. 748] concessuram.

Quam ob rem a Regia Vestra Maiestate demisse peto, ut hanc promissionem mihi factam sibi in mentem redigat, meque in possessionem eius tractus quamprimum clementer mitti iubeat. Ego vicissim dabo operam, ut in omni genere officiorum, quae alioquin Regiae Vestrae Maiestati sunt

paratissima, promptam animi mei voluntatem, qualem eam innumera Regiae Vestrae Maiestatis beneficia desiderant, amplissime demonstrem. Datae Osterodae.

Fr[idericus] Aulack

- a) *sic in ms., fortassis debet esse: promissa*
1) *Caspar a Münster.*
2) *Gulielmus a Fürstenberg.*
3) *Ioannes Hoit, orator Ordinis Livoniensis.*
4) *25. V.*

N. 4921.

Osterodae, 14.X.1559.

Albertus dux in Prussia

Procopio Sienawski, dapifero Leopoliensi, et, mutatis mutandis, Ioanni Milecky, palatino Podoliae,
gratias agit pro eo, quod opera eius intercedente Alexander Moldaviae palatinus amicitiam secum contraxit; diligentiam eius «in curanda rabarbara» laudat: nuntiat se litteras pro eo commendaticias ad Isabellam Hungariae reginam et ad palatinum Moldaviae scripsisse.

Cfr. El. XL, N. 1713.

Ostrpr. Fol., vol. 55, ff. 737-739.

Procopio Sienawski. Mutatis mutandis Ioanni Myelieczki, Palatino Podoliensi, 14 Octobris.

Gratias agit, quod eius opera Palatinus Moldaviae ad contrahendam amicitiam impulsus sit, quodque in curanda rabarbara diligentiam adhibuerit etc.

Nobilis et Generose, sincere nobis dilecte.

Quod Vestrae Generositatis opera factum est, ut nobiscum Magnificus Dominus Alexander, Palatinus et Dominus Moldaviae, missa ad eam rem legatione, amicitiam contraheret, fuit id nobis vehementer gratum, eamque ob rem Vestrae Generositati [f. 738] habemus gratias. Semper enim fuit optatissimum cum exteris principibus iisque christianis, quibus communia religionis vinculo coniuncti essemus, peculiariis etiam amicitiae nodis illigari. Itaque benevolentiam eius, amicitiam nostram ultro expetentis, cupide amplexi sumus eamque, quantum in nobis erit, summa constanza colemus atque omni officiorum genere tuebimur. Quod vero ad postulationem ipsius de armis transmittendis attinet, non gravate ei sumus assensi atque omni officiorum genere tuebimur. Ad curam tamen eius pertinebit, ut id apud Regem Poloniae efficiat, quo nullum in transmissione armorum in itinere interveniat impedimentum.

Praeterea ex literis Generositatis Vestrae perspeximus Generositatem Vestram in curanda rabarbara quam potuit diligentiam adhibuisse, eaque nobis fuit gratissima, sed quod de homine huius rei perito adiicit Generositas Vestra, id nos neutiquam arbitramur esse necessarium. Cum enim de ea re ad Generositatem Vestram scribeberemus, existimabamus [f. 739] recentiorem eam radicem in illis oris reperiri, quam quae ad nos perfertur. Verum cum mediocris rabarbarae hoc tempore nobis copia facile fieri pos-

sit, non putavimus tantum oneris vel Magnifico Domino Palatino Moldaviae, vel Generositati Vestrae in posterum imponendum.

Denique quas commendationes ad Serenissimam Reginam Izabellam et Magnificum Dominum Palatinum a nobis Generositas Vestra postulavit, quam potuimus diligenter perscrispimus, magis ut in eo Generositati Vestrae morem gereremus, quam quod Generositati Vestrae apud eos, quibus ante per se Generositas Vestra esset commendatissima, nostra quoque commendatione opus esset. Quod superest, a Generositate Vestra petimus, ut benevolum erga nos animum, quem multis argumentis habemus cognitum, integrum ac, si fieri potest, auctum etiam conservet. Nos nihil de pristina erga Generositatem Vestram propensione remissuri sumus. Datum Osterodae.

F[ridericus] Aulack

a) *in ms.* Vestra Generositas

N. 4922.

Osterodae, 14.X.1559.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Mielecki, palatino Podoliae, R.P. marscalco,
litteras eius per nuntium palatini Moldaviae sibi redditas esse nuntiat et pro
benevolentia erga se in eis abunde declarata gratias agit.

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1717.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 739-740.

N. 4923.

Osterodae, 14.X.1559.

Albertus dux in Prussia

palatino Moldaviae [Alexandro]

litteras eius, benevolam erga se propensionem nuntiantes, per nuntium et aulicum eius, Michaelem Rohoziński, sibi redditas esse nuntiat; ipse vicissim studia sua offert; pro equis missis gratias agit; Procopium [Sieniawski], iam ei commendatum, commendat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 748-750.

N. 4924.

Osterodae, 14.X.1559.

Albertus dux in Prussia

Isabellae reginae Hungariae

ex litteris Procopii [Sieniawski] se intellexisse nuntiat illam adversa valetudine affectam esse, et Deum precatur, ut eam morbo liberet et pristinae sanitati

restituat; eundem Procopium [Sieniawski, dapiferum Leopoliensem], ad eam proficiscentem, commendat.

(*Latine*)

Cfr. El. XL, N. 1713.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 750-752.

N. 4925.

Osterodae, 14.X.1559.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni [Sigismundo], «regi iuniori Hungariae»,
nuntiat ex litteris Procopii [Sieniawski] se intellexisse illum prospera frui vale-
tudine, de qua ipsi gratulatur; eundem Sieniawski commendat.*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 752-753.

N. 4926.

S.l., 25.X.1559.

Albertus dux in Prussia

*regi Angliae [Philippo II]
decem falcones dono mittit.*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 753-754.

N. 4927.

S.l., 26.X.1559.

Albertus dux in Prussia

*regi Galliae [Francisco II]
ob mortem patris [Henrici II] ei condolet; diuturnum et felix regnum exoptat;
decem falcones dono mittit.*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 754-755.

N. 4928.

S.l., 26.X.1559.

Albertus dux in Prussia

*reginae Angliae [Elisabeth]
octo falcones dono mittit.*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 756-757.

N. 4929.

S.l., 26.X.1559.

Albertus dux in Prussia
«duci de Gwiso» [Guise]
sex falcones dono mittit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 757.

N. 4930.

S.l., 26.X.1559.

Albertus dux in Prussia
regi Navarrai [Antonio]
sex falcones dono mittit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 758.

N. 4931.

S.l., 28.X.1559.

Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim
de adversa valetudine eius dolet et excusationem propter longum silentium
libenter admittit; sperat tamen eum nunc crebrius scripturum esse; pro lit-
teris reginae Catharinae, manu propria scriptis, sibi transmissis gratias
agit et ipse vicissim litteras suas reginae tradendas mittit; pro novitatibus
de papa [scil. de morte Pauli IV 18.VIII.1559 a. secuta] sibi significatis
gratias agit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 390r-391.

N. 4932.

S.l., 29.X.1559.

Albertus dux in Prussia
Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,
pro litteris, 21.IX. ex Nova Civitate Korczyn (Neustadt) datis, gratias agit; cre-
brius scribere promittit; equos sibi dono missos magnopere sibi placuisse
nuntiat; pro equo fusco («vor das braune ross») ei misso tanta gratiarum
actione opus non fuisse scribit; pro novitatibus secum communicatis gra-
tias agit; de reginae et «des gantzen frauenzimmer» bona valetudine gau-
det, dolet tamen, quod regina et eius aulicae ita ab uno loco in alterum a
peste fugere cogantur («das ire mt. und ire mitwesenden also von einem
orth zum andern vor den sterben fliehen und weichen mussen»).

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 391r-392v.

N. 4933.

S.l, 7.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Christophorum Botticher, Ordinis Livoniensis olim cancellarium, commendat et rogat, ut rex auctoritatem suam pro eo interponere dignetur, quo bona quaedam in districtu Duneburgensi «vigore diplomatum quorundam» a magistro et Ordine Livoniensi ei donata sunt, recuperare possit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 760-762.

N. 4934.

S.l, 7.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,

Christophorum Botticher, Ordinis Livoniensis olim cancellarium, commendat et rogat, ut negotium eius apud regem ita iuvet, «ut quod de recuperandis ex munificentia in praefectura Duneburgensi bonis suis petit, non difficulter obtineat».

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 759-760.

N. 4935.

S.l, 9.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Wolski, R.P. ensifero,

hortatur eum, ut pecuniae summam, subdito suo Thomae Koss debitam, ei restituat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 762-764.

N. 4936.

S.l, 12.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*pro equis Italicis a rege sibi dono missis, per Vincentium Ruszkowski adduc-
tis, gratias agit; obsequia offert.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 764-765.

N. 4937.

S.l., 12.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
internuntium eius, Stanislaum Grajewski, se libenter audivisse nuntiat et pro
studiis oblatis, necnon pro xenio a filio eius [Nicolao Christophoro] filio
suo [Alberto Friderico] misso gratias agit* («neque opus fuisset tam ele-
ganti et egregio munere illum donare, cum et aetatem illius excedat et
is ad compensandum impar sit»).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 765-768.

N. 4938.

E Regio Monte, 12.XI.1559.

Albertus Fridericus, «dux in Prussia iunior»,

Nicolao Christophoro Radziwill, «duci in Olyka iuniori»,

*pro litteris et pro «egregio munere equorum cum Ungarico curru» gratias
agit; sperat inter ipsos quoque eandem animorum coniunctionem futu-
ram, quae inter parentes ipsorum intercedit* («haec Illustritati Vestrae
meo scribi et responderi nomine iussi, siquidem ipse in primis adhuc
literam rudimentis versor et vixdum calamo manum admovere coe-
pi»).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 768-772.

N. 4939.

S.l., 17.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,

*Christophorum Gelber, civem Regiomontanum, commendat et rogat, ut ope-
ram suam pro eo apud regem interponat, quo in «in silva quadam Kret-
tingen appellata» ad tres naves fabricandas et instruendas ligna caedendi
copiam consequatur.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 772-773.

N. 4940.

S.l., 17.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

Henrico a Dohna

*nuntiat se novitates, praecipue de statu et valetudine regis, diu ab eo exspec-
tasse, sed hactenus nihil accepisse queritur; rogat igitur, ut crebrius scri-
bat et nova scitu digna communicet; litteras Erhardo a Kunheim in*

*manus proprias tradendas mittit et petit, ut omnes litteras suas in uno
involucro clausas ad Kunheim pervenire faciat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 392r-393v.

N. 4941.

S.l. 18.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*pro Friderico III duce Legnicensi, qui Vratislaviae in custodia praetorii deti-
netur et accessu uxoris ac liberorum prohibetur, intercedit et rogat, ut ope-
ram suam pro eo apud imperatorem interponere velit.*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 775-778.

Regi Poloniae, 18 Novembris.

Pro Friderico Duce Legnicensi¹⁾.

Serenissime Rex etc.

Perlatum ad me est Illustrem Principem, Dominum Fridericum Ducem Legnicensem, consanguineum et affinem meum charissimum, literis S. Imperatoriae Romanorum Maiestatis²⁾ Vratislaviam proxime abhinc elapso mense citatum ad tractatus quosdam de gravaminibus Illustritatis Suae, per deputatos ad hoc ab Imperatoria Maiestate Sua commissarios cum illa habendos. Ac comparuisse Illustritatem Suam die sibi dicto, sed praeter omnem expectationem istic obstrictum se esse et in praetorii custodia detineri. Prohiberi accessu ad Illustritatem Suam coniugem³⁾ liberosque, neque admitti aliquem praeter eos, quorum custodiae commissus est. Quo fit, ut ad con- [776] sanguinorum opem nuntiorum missione implorandam scribendisque literis facultas ei omnis praecisa sit. Audio eundem Principem obtestatum esse Imperatoriae Maiestatis commissarios, ut praelectam sibi Imperatoriae Maiestatis propositionem descriptam traderent, velle se ad omnia et singula innocentiam suam, et quod praeter culpam ab adversariis suis apud Imperatoriam Maiestatem delatus esset, docere, ostensurumque se etiam literis Maiestatis Suae omnia fere ea, quae in dicta propositione continerentur, complanata esse. Itaque petere Illustritatem Suam, ne in maximum suum praeiudicium properanter in se nondum auditum, multo minus convictum, durius quid statuerent, verum nihil horum Illustritatem Suam obtinere potuisse.

Quia vero Illustritas Sua hactenus semper in unicam S. Regiam Vestram Maiestatem post Deum spem fiduciamque omnem collocatam habuit, facere non potui, quin vicem Illustritatis Suae afflictam misertus hoc nomine ad S. Regiam Vestram Maiestatem scriberem. Quam maiorem in modum [f. 777] ac submisso oratam habeo, dignetur pro arcta sanguinis necessitudine Dominum Ducem Fridericum praedictum sibi commendatissum habere ac non gravatim, proprio quasi motu et me inscio, pro eo apud Imperatoriam Maiestatem intercedere, sic sane, ut S. Imperatoria Maiestas Illustritatem Suam, precibus S. Regiae Vestrae Maiestatis adducta, in gratiam recipiat et custodia liberet. Sin vero nullum veniae locum Maiestas Sua dandum censeret atque omnino in captivitate Illustritatem

Suam esse vellet, ut ne in contumeliam et vilipendium perpetuum totius familiae omniumque propinquorum Illustritatis Suae cum civibus communem incarcerationis conditionem sustinere Illustritatem Suam patiatur, sed in castro aliquo sui Ducatus custodiendam mandet, atque ita, ut coniugi liberisque ad illum liber aditus pateat, ne quid coniugalis ea separatio nomini et dignitati ipsorum vel consanguineorum utriusque officiat.

[f. 778] Postremo ut S. Imperatoria etiam Maiestas Sua ex redditibus Ducatus Legnicensis ei, uxori liberisque ad sustentationem et alimenta aliaque necessaria, Principibus viris digna, certam pecuniae summam annuatim assignet, salvo per omnia et Illustritatis Suae et omnium heredium suorum in hereditario eo Ducatu, coniugisque suae in bonis ex donatione propter nuptias ad eam pertinentibus, iure. Haec cum mihi non iniuste peti posse videantur, plane confido S. Regiam Vestram Maiestatem eo faciliorem se praebitaram et Principem necessarium patrocinio suo non dedignaturam esse. Factura S. Regia Vestra Maiestas opus pium, Illustritati autem Suae et omnibus iis, quos illa sanguinitate attingit, rem longe gratissimam, mihi vero cum iisdem et amanter et officiosissime compensandam. Quod reliquum est, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Fridericus III.*

2) *Ferdinandus I.*

3) *Catharina, filia Henrici ducis Megapolensis.*

N. 4942.

S.l., 18.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski]

pro Friderico III duce Legnicensi eliberando (cfn. N. praeced.).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 774-775.

N. 4943.

S.l., 18.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Caspare Koszwicz, qui magnis sumptibus in civitate Cracoviensi domum exstruxerat, «pro meo et consiliariorum meorum hospitio commodissimam», intercedit et rogat, ut privilegium immunitatis in eandem domum consequatur, «sic sane, ut ne quem alium praeter me et consiliarios vel servitores meos hospitio accipere teneatur cogaturve».

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 779-780.

N. 4944.

S.l., 18.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

*Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,
oblata occasione nuntii, se eum et reginam Catharinam per litteras invisere
voluisse nuntiat et rogat, ut crebrius scribat et de statu et valetudine regi-
nae se certiorem reddat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 393r-394.

N. 4945.

S.l., 18.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

*litteras ad reginam Catharinam scriptas mittit et mandat, ut eas quam citi-
sime reginae in manus proprias tradendas curet; de litteris tardius scriptis
adversa valetudine sua et nuntiorum inopia se excusat; de statu reginae,
et si quid ei de eiusdem reginae ad imperatorem profectione vel imperato-
ris ad reginam cogitato adventu constiterit, sibi scribi petit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 394r-395.

N. 4946.

S.l., 19.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

Catharinae reginae Poloniae

*pro Friderico III duce Legnicensi ab imperatore e custodia liberando (Cfr. N.
4941).*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 395-397.

N. 4947.

S.l., 24.XI.1559.

Albertus dux in Prussia

Bernardo Pretwicz, capitaneo Trembovlensi,

*pro salutationibus, cornibus cervinis et aequo Arabico sibi missis et novitati-
bus communicatis gratias agit; dolet, quod hostibus Christianitatis inter-
se dissentientibus christiani eiusmodi commodam occasionem praeter-
mittant et ipsi inter se discordes sint; duas loricas mittit etc.*

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 397-400v.

An Pretwitzten, den 24 Novembris 59.

Wir haben euer schreiben, Trembovna den 26 Septembris datirt, empfangen und seins inhalts [f. 397v] nach lenge, den wir auch zu erhohlen unnötig achten, lesende verstanden. Seint anfenglich fur euer treues wolle meinendes wunschen gegen uns, unser geliebten gemahel¹⁾ und jungen herschaft²⁾ in gnaden danckbar und mogen euch nicht pergen, das wir, Gott dem hern sey danck, noch alle in zimlicher gesundtheit, wiewol wir nach gelegenheit eines alten von tag zu tag nicht zu sonder immer abnehmen. Und seint nicht weniger erfreuet, das es euch noch wol geth. Wunschen euch solches lang mit gesundtheit und aller wolfart.

Fur die hirschgeweihe und den arabier seint wir euch in gnaden danckbar, und habt uns daran, das ir uns mit den geweihen bedacht, zu sehr grossem gefallen gethan, dann wir umb solche von vilen orthen gebethen werden. Sie seint aber eins theils ankohmen, das sie die fuchse [f. 398] schumpfirt, eins theils ser bestossen etlich halbe zancken wegk, und haltens dafur, das es unterwegens geschehen, jedoch seint die meisten guth und hubsch. So auch der arabier nurnt selbsten will, soll ehr es bey uns nicht ubel, sonder so wol und vlleicht besser als in Arabien haben.

Das ir euch auch entschuldigt des langen nicht schreibens, were nicht vonnothen, dann wir mit euch wol zufriden und wol abnemen konnen, das ir mit hendeln gnugsam beladen, leidt ist uns, das es auch schwachheit eures leibes verhindert. Wir mussen es aber sowol als ir dem lieben Gott, der alles nach seinem willen schickt, bevelhen.

Der mitgetheilten zeitungen thun wir uns gnedigst bedancken und thun mit euch wunschen, das Gott [f. 398v] den unchristen unter sich sovil zu thun geben wolle, das wir armen cristen vor inen mehr befridiget. Mussen aber mit euch klagen, das nun zu itzigen zeiten, do sy unter sich selbst uneins, die cristen nicht einig und dise grosse gelegenheit, die feinde der cristenheit heimzusuchen, verseumten und underlassen. Wir fur unser person konnen nun in unsren alten letzten tagen auf solche hendel nicht denken, sonder wilmehr dahin, wie wir nuhmer in unserm alter ruhe haben und nach Gottes willen unser muheselig leben auf der welt schliessen und in Gott seliglich in jener welt leben mögen. Hoffen aber, unser lieber Gott werde andern jungen frommen cristen den sin, das hertz und den muth verleihen, das sy dahin denken und trachten werden, damit zu vertrettung Gottes nahmens und errettung cristliches bluts getrachtet und den ertzfeindt [f. 399] cristliches nahmens in zeiten gesteuert und gewehret werden möge. Das auch euer diinst nicht mer, ab irs schon treulich meinet, in acht gehalten, sonder verachtet und daruber ein orth nach dem andern von dem Tattern verwüstet wirt, mussen wir pillich mit euch klagen und Gott bitten, er wolle der ko.mt., und denen er zu fordern geburt, das hertz verleihen, das doch einmal betrachtet werde, wess inen zu schutz der armen betruckten cristen geburet, und dadurch sie sovil mehr und lieber die betrubten verfolgten orther und leuthe erretten zu helfen gereitzet.

Wir seint auch mit euch, das ir uns die pferde, so ir vor uns haltet, itzo nicht geschickt, wol zufriden, dann wir eure und des orths gelegenheit wol wissen. Wolten auch je nicht gerne, wann uns mit ichte gedienet, das dadurch der ko.mt. oder jemands derselben betruckten underthanen nachteil zugefugt solle werden. Derhalben wir lieber der pferde (ab sie uns wol angenhme) bis zu guter bessern gelegenheit entperen wollen als das darmitt wir hinderung zu abtreibung der unchristen ursachen solten.

Wir schicken euch auch eurem bitten nach 2 pantzer, sie seint aber nicht dermassen oder so suptil und klein gemacht, wie sy itzo aus dem

Deutschland her bracht werden, sonder der alten arth nach fest und grob, und ist uns dise euch zu schicken gerathen, weil die suptilen pantzer weder fur etwas harten hieb noch stich halten konnen. So aber ir der kleinen und suptilen pantzer auch begeret, wollen wir euch derselben eins auch gern schicken, dann wir sie so guth nicht haben, wann sy gleich gulden und ir sie begeret, wir wolten sie euch schicken. Also schicken wir euch auch hie- mit einen hirschkopf [f. 400] mit leuchter kuten und aller zubehorung ohne das geweih, und des thun wir darumb, das ir das gehorne bey euch besser und artlicher, dann wirr alhie darauf setzen lassen konnen, bekommen konnet.

Die tauwilde wolten wir euch gerne itzo geschickt haben. Es ist aber nun ein ungelegene zeit, dann sy alle itzo trechtig, und so man sy haben will, muss man sy fangen in garnen, do sy dann gerne sich brechen und sterben, wie uns wol eher geschehen. Uff den sommer aber wollen wir ein par jung fangen und erziehen lassen und fleiss anlegen, ob wir euch die auf wagen so jung zuschicken konten.

Wir begern auch uns, das wir euren diener so lang aufgehalten, entschuldigt zu haben, dann es warlich vile geschefte verhindert, damit auch ir zu sehen, das wir, weil ir die geweih ein weiten wege herein schicken musset, dieselben auf euren unkosten nicht begern, haben wir eurem diener 50 f. zur zerung geben lassen. Den euch in allem gnedigen willen etc.

H[einrich] Sten[drich]

1) *Anna Maria*.

2) *Anna Sophia, Elisabeth, Albertus Fridericus*.

N. 4948.

S.l., 2.XII.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Martino ab Hofen, cive Regiomontano, ab Anglico quodam capitaneo iniuria affecto, intercedit et petit, ut illi litteras intercessorias ad reginam Angliae [Elisabeth] impartiri velit, quo dicta regina causam eius «coram iudicio suo aulico terminari faciat, nec eum ad alium quemvis iudicem remittere velit».

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 780-782.

N. 4949.

S.l., 4.XII.1559.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Philippe Padniewski]

pro Martino ab Hofen, cive Regiomontano, intercedit et rogat, ut litteras pro eo intercessorias ad reginam Angliae [Elisabeth] quam primum scribendas curet et earum exemplum sibi transmittat (cfr. N. praeced.).

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 782-783.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro civitate Gedanensi et eius proconsule Constantino Ferber, «ad unius hominis captiose quaesitam accusationem», contra statuta, privilegia et immunitates praeggravatis et oppressis.

Ostrpr. Fol., vol. 55, ff. 785-795.

Regi Poloniae, 10 Decembbris.

Serenissime Rex, Potentissime Princeps etc.

Perlatum ad me est gravem esse querimoniam in civitate Gedanensi ab omnibus eiusdem inhabita- [f. 786] toribus, quod fama istic emanarit senatum eius urbis, una cum Proconsule Constantino Ferber, ad tribunal S. Regiae Maiestatis evocatum esse ad instantiam cuiusdam civis Lublinensis, Casprowicz appellati, actionem contra eundem senatum et Proconsulm ratione captivi debitoris cuiusdam intendentis. Et quod eo usque iam processum esse audiant, quod senatus praedictus et Proconsul Constantinus Ferber per sententiam S. Regiae Maiestatis Vestrae in ipsos iam latam personaliter, contra solemnia terrarum Prussiae privilegia, ad iudicium S. Regiae Vestrae Maiestatis citati sint. Fertur etiam permoleste omneis eiusdem civitatis incolas condemnatoriam eam sententiam ferre. Existimare autem gravem eam sententiam per sinistram Casprowicz istius accusacionem seu delationem potius impetratam esse.

Et licet senatum ea in causa [f. 787] ad S. Regiam Vestram Maiestatem procuratorem misisse cognoverint, tamen suspicari illos omnes causae circumstantias ab eo coram S. Regia Vestra Maiestate non sufficienter productas esse. Hoc enim si factum fuisse, persuadere sibi omnes procul dubio S. Regiam Vestram Maiestatem, revocatis clementer in memoriam iis, quae divo S. Regiae Vestrae Maiestatis parenti felicis recordationis atque ipsi quoque S. Regiae Vestrae Maiestati ab ea civitate quovis obsequii genere praestita sunt, quaeque praestari adhuc possint, non tantum pluris sibi momenti ea in civitate tota, quam uno aliquo homine repositum esse existimaturam, sed eiusmodi sententiam laturam fuisse, ut ne tota ea civitas ad unius hominis documenta et frivole quae sitam accusandi ansam tanto gravamini et vilipendio exponeretur. Quin potius pro regia clementia id benemeritis illorum daturam fuisse, ut gaudere iis iuribus et privile- [f. 788] giis (uti aequum est) potuissent, quibus terrae Prussiae solemniter donatae sunt, cum quod debitor iste, unde occasionem conquerendi Casprowicz arripuit, praesens sit et in vinculis detineatur, tum quod idem Casprowicz sententiae S. Regiae Vestrae Maiestatis in prima instantia latae renuntiaverat et carceribus saltem debitorem, restituì petierat. Itaque arbitrari illos senatum ad alia eidem actori non teneri. Hinc multas gravesque audio excitari querelas animosque multorum perturbatos esse.

Haec cum ita ad aures meas perlata sint atque in dies adhuc fama de illis excrescat, in varias cogitationes pertractus sum. Consideranti autem mihi haec tempora periculosa, rem illam periculo coniunctam esse subverror. Quod uti S. Regiam Vestram Maiestatem praevenire maxime aequum, ita et perneces- [f. 789] sarium esse duco. Inde adeo pro officio fidelis vasalli Principis, qui (quod Deus novit) candide haec ago, proque

fide mea, S. Regiae Vestrae Maiestati debita, praetermittere non potui quin has ad S. Regiam Vestram Maiestatem literas darem.

Ante omnia autem id mihi et maerorem et dolorem maximum incutere, si dici de S. Regia Vestra Maiestate audiendum mihi esset, quod S. Regia Vestra Maiestas ad unius hominis captiose quae sitam accusationem totam civitatem Gedanensem, praecipue vero honestum et egregium virum Constantimum Ferber, contra disertissima statutorum, privilegiorum et immunitatum verba, praegravari passa fuisset, sic sane, ut inde animi incolarum eiusdem urbis (de quibus tamen, uti S. Regiae Vestrae Maiestatis fidelibus subditis, meliora spero) erga S. Regiam Vestram Maiestatem exacerbari, exagitari, conturbari, contrastari seu quoquomodo alieniores fieri inciperent. [f. 790] Etsi autem obiici hoc posset muneris regii hoc esse, ut S. Regia Vestra Maiestas, posthabita dignitate seu indignitate personarum, ius cuique dicat, recte quidem hoc et sic fieri aequum est. Pressius autem mihi haec, quemadmodum perlata ad me sunt, consideranti et illud occurrit: rationem quoque habendam esse, ne quid contra statuta et privilegia fiat, neque teneri magistratum iudicium experiri, aut ad respondentum de iure cogi pro reo praesente et in ius iam vocato.

Itaque S. Regiam Vestram Maiestatem etiam atque etiam subiectissime maioremque in modum oratam habeo, dignetur S. Regia Vestra Maiestas circumstantias totius negotii clementer secum expendere simulque ad regium animum reducere, quam bene senatus incolaeque eius civitatis de maioribus S. Regiae Vestrae Maiestatis et ipsa quoque S. Regia Vestra Maiestate meriti sint, quidque in posterum mereri possint; denique quantum intersit [f. 791] S. Regiae Vestrae Maiestatis, ne alieniores ab illa redantur, sed in pristina fide et subiectione retineantur, neve ex hoc initio instinctu aliorum, qui ad dissidia propendunt, inter incolas exulceratio aut distractio animorum exsurget. Clementer etiam S. Regia Vestra Maiestas secum reputet non modo teneri S. Regiam Vestram Maiestatem (sicut facturam esse illam plane confido), sed ex re quoque et commodo maximeque consultum S. Regiae Vestrae Maiestati esse, ut privilegia sarta tecta et inviolata permaneant, ipse quoque senatus sub protectione S. Regiae Vestrae Maiestatis conservetur. Factura idcirco est S. Regia Vestra Maiestas rem sibi non utilem tantum, sed ad removendas omnis generis molestias accommodatissimam, si eo negotium hoc redegerit, ut ante omnia privilegiis et statutis terrarum et urbiuum nihil derogetur, utque actor causae Casprowicz praedictus (siquidem, uti ad me perlatum est, et senatum [f. 792] quoque Gedanensem eius rei testimonia habere audio, is priori S. Regiae Vestrae Maiestatis sententiae renuntiavit et praeterea nihil quam restitutionem debitoris ad carceres postulavit) nunc tandem debitore eo vinculis restituto, quod petiit, prosequatur, et contra eundem praestitis a senatu iam, ut cogi ad maiora non possit, praestandis, de solvendo iure agat. Deinde ut ne viro honesto et egregio culpae aut gravamini sit illud, quod is non suo, sed totius senatus nomine et mandato dicere iussus est, neque ei erratum interpretis seu translatoris in vocabulo falsi imputet, quin potius eundem, bene de S. Regia Vestra Maiestate meritum, regia gratia complectatur, ut de favore et clementia S. Regiae Vestrae Maiestatis re ipsa gloriari possit. Neve adversariis ipsius ad insultandum ei vel persequendi quoque alias movendique novas lites, iurgia et dissidia occasio relinquatur.

Clementer enim S. Regia Vestra Maiestas cogitet, [f. 793] quod si eo res deveniret, ut is, qui nomine totius senatus vel sententiam dicit, vel verba habet, ob id solus in ius vocari vel culpae obnoxius esse deberet. Et quis

tandem ei muneri praeesse vellet, ut taceam, si tanti viri authoritas eiusmodi vilipendio labefactaretur in civitate tam populosa, totque exterarum provinciarum hominibus referta, quam varii futuri essent sermones, quid cordis vel animi paritura esset res talis.

Ceterum quoniam intelligo senatum eum tam suo, quam Proconsulis nomine, ad citationem a S. Regia Maiestate Vestra impetratam (quae tamen non prius quam die ultima Novembbris illis, ut aiunt, reddita est) internuntium plenipotentem missurum esse, qui propter temporis angustiam et viae incommoditatem in termino assignato comparere minime poterit, officiosissime peto, dignetur S. Regia Vestra Maiestas fidelibus subditis suis id gratiae dare ac terminum constitutum clementer in adventum [f. 784] praedicti internuntii prorogare. Iterum autem atque iterum S. Regiam Vestram Maiestatem subiectissime oro, ut ne aegrius hanc meam importunam fortassis scriptionem ferat clementerque mihi ignoscat, cum quod candide quae scribo sentio, tum quod S. Regiae Vestrae Maiestatis rationem praecipuam hanc in re habeo, siquidem bene mihi constat, quantum in ea civitate ponderis ad emolumenta S. Regiae Vestrae Maiestatis situm sit, plurisque faciendam esse eam cum Proconsule suo, quam hominem privatum Casprowicz. Ac ingenue hoc dico: ex omnibus terrarum Prussiae urbibus praecipuam esse eam, in quam S. Regia Vestra Maiestas multum spei collocare recte potest, praesertim tempore hoc turbulento et rebus cum Moscho sic stantibus. Tempore enim necessitatis experta est S. Regia Vestra Maiestas, quid illa possit, et porro etiam, quid ad postulata S. Regiae Vestrae Maiestatis factura sit, et quam obsequia S. Regiae Maiestati Vestrae sua compro- [f. 795] bata cupiat, intelliget. Itaque clementer S. Regia Vestra Maiestas caveat, ne a se illam alienet, namque alieniore a S. Regia Maiestate Vestra facta, tempore necessitatis experietur nullam ex omnibus aequa ac illam ad vota S. Regiae Vestrae Maiestatis accommodatam fore. Itaque senatum eum cum Proconsule sibi commendatissimum habeat, neque gratiam erga illos suam imminui quoquo modo patiatur. Erit hoc S. Regiae Vestrae Maiestati commodo non vulgari. Atque haec pro fide mea S. Regiae Vestrae Maiestati minime celanda esse putavi. Quam feliciter valere exopto. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

N. 4951.

S.l., 10.XII.1559.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
transmittit exemplum litterarum, quas pro civitate Gedanensi eiusdemque
urbis proconsule ad regem dedit, et rogat, ut auctoritatem suam pro eis
apud regem interponat (cfr. N. praeced.).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 783-785.

N. 4952.

S.l., 12.XII.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

rogat, ut Georgium Wantkowski, subditum suum, in numerum cubiculariorum suorum recipere velit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 795-796.

N. 4953.

S.l., 12.XII.1559.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,

nobilem Georgium Wantkowski, subditum suum, commendat et rogat, ut operam suam pro eo interponat, quo in numerum regiorum cubiculariorum recipiatur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 796-797.

N. 4954.

S.l., 22.XII.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae et, mutatis mutandis, episcopo Vilnensi [Valeriano Protasewicz]

pro Ioanne Menicke, cive Regiomontano, controversiam ratione contractus venditionis cum subdita quadam episcopi et capituli Vilnensis habente.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 803-805.

N. 4955.

S.l., 22.XII.1559.

Albertus dux in Prussia

Iacobo Uchański, episcopo Vladislaviensi,

de rebus eius «non nihil afflictis» dolet et sortem eius propter «religionis societatem» inter eos intercedentem sibi cum eo communem esse existimat; ad constantiam in religione eum hortatur.

(*Schedula: de adversa eius valetudine dolet hortaturque, ut contra adversitates instructio sit animo; rogat, ut Germanica nomina villarum, quarum limites in metrica sua perquirendi sunt, mittat.*)

Cfr. El. XLI, N. 1729.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 805-812.

Iacobo Uchanski, Episcopo Vladislaviensi etc., 22 Decembris.
Hortatur ad constantiam in religione etc.

Reverende in Christo Pater, Amice nobis singulariter dilecte.

Cum Reverendus ac Eximius Petrus Paulus Vergerius, Episcopus olim Iustinopolitanus, hac Vilnam iter facturus apud nos descendisset, honorificam Reverenda Paternitatis Vestrae mentionem apud nos fecit et pleraque etiam de statu rerum illius nobis narravit, subnectens multa Reverendam Vestram Paternitatem de nostris in illam benemeritis deque gratificandi studio et singulari erga eandem propendente atque re ipsa etiam comprobata benevolentia nostra egregie deprea- [f. 806] dicasse. Ut autem ad posterius hoc inverso ordine respondeamus, nihil sane eiusmodi in Reverendam Paternitatem Vestram collatum a nobis esse meminimus, quod vel tantum eulogium vel gratiarum actionem tam amplificam mereatur, ut ex abundantia amoris Reverenda Paternitatis Vestrae in nos propensisimi verius, quam merito nostro profici sci haec existimemus. Quae ut nobis non possunt non esse gratissima, ita nihil in posterum eorum, quae vel ad redamandam Reverendam Paternitatem Vestram, vel contestandum voluntatis erga illam propensissimum studium nostrum requiri in nobis videantur, praetermissuri simus.

Quod vero ad res Reverenda Paternitatis Vestrae nonnihil afflictas attinet, toto illi pectore condolemus ac pro ea, quae religionis inter nos est societas, sortem illius nobis communem quasi ducimus, tametsi facile colligere possumus malevolorum instinctu haec in Reverendam Paternitatem Vestram moveri et subornari ac pii clementissimique [f. 807] Regis animum invitum fortassis in eam sententiam pertractum esse. Quia vero Reverendam Paternitatem Vestram Dei spiritu in rebus ad salutem animae pertinentibus instructorem esse scimus, quam ut doctore vel submonitore aliquo opus habeat, tamen qui noster est in Reverendam Paternitatem Vestram amor, amice illam pro pietate christiana hortamur, ut pluris faciat aeterna illa et nunquam interitura quam momentanea et terrestria haec vanitati obnoxia bona, neque se ab agnita veritate sive minis seu quovis alio interminato malo amoveri vel abstrahi patiatur, neque auctoritate aliqua vel pontifica vel satelliti Romani deterreatur, sed constanter confidat in eo, qui dicit: Ego vos portabo etc. et usque in senectam etc.¹⁾ vult eiusmodi afflictiones esse exercitia piorum, vult Ecclesiam suam cruci subiectam esse, verum sicut Petri naviculam, dormiente Christo procellis [f. 808] et ventorum iniquitate submersioni proximam, servavit, ita Ecclesiam quoque suam, furoribus diaboli et tyrannide pontifícia varie nunc iactatam, somno a piis excitus clementer protecturus est.

Quae cum notiora Reverenda Paternitati Vestrae sint, quam ut ipsa a nobis, in tyrcinio sacrarum literarum adhuc haerentibus, erudiri vel debeat vel possit, nullum nobis est dubium Reverendam Paternitatem Vestram cor divinitus ita confirmatum habere, ut praestigiis diaboli contemptis spretisque mundanis hisce deliciarum temporalium voluptatibus, vel tacentibus nobis, Dei gratiam pontificiae indignationia^a) et consortium piorum in futura vita odiis impiae multitudinis praferre secum constituerit. Aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi cor et animum Reverenda Paternitatis Vestrae spiritu sancto suo regat et gubernet, et in pio suo proposito constantiam illam confirmet, ut per Reverendam Paternitatem Vestram, tanquam organum Dei [f. 809] electum, nominis divini gloria illustretur, veritas propagetur et ad aedificationem Ecclesiae Christi exemplo Reverenda Paternitatis Vestrae alii quoque excitentur, ut Christo, fores Regni Poloniae pulsanti, intrepide portas aperiant obviisque, quod dici solet, ulnis illum excipient. Erit pro hoc Reverenda Paternitatis Vestrae merces in caelis magna, multisque animabus, aeternam salutem clam

sipientibus, rem Reverenda Paternitas Vestra factura est exoptatissimam, nomini autem suo per totum Orbem Christianum memoriam et laudem immortalem comparabit. Quod si eam ad rem omnem provehendam tam Reverendae Paternitati Vestrae, quam omnibus piis ecclesiarum Christi pastoribus adiumento esse quoquo modo poterimus, nihil desiderari in nobis patiemur. Atque haec per omnem occasionem, nobis a Reverendo Domino Vergerio ad hoc datam, scribenda esse ad Reverendam Paternitatem Vestram putavimus. Datum.

Cedula

[f. 810] Condolet adversam valetudinem et consolatur, ut contra persequitiones quascunque instructo animo sit. Gratificari illi non potest in perquirendis ex metrica episcopalibus bonis, quod nomina sint Polonica.

Redditiae quoque nobis sunt sub adventum eiusdem Vergerii per Cancellarium nostrum²⁾ Reverendae Paternitatis Vestrae literae, die 2 Decembris Gedani ad nos datae. Quae cum eius fere sint argumenti cum iis, quae nobis Reverendus Dominus Vergerius narravit, dupli responsione Reverendae Paternitati Vestrae molestiores esse noluimus, nisi quod adversam Reverendae Paternitatis Vestrae valetudinem dolemus. Sed cum is, in quo vivimus, movemur et sumus, salutari interdum filiorum suorum castigatione pro paterna sua dilectione utatur, non dubitamus, quin quando illi visum fuerit, medelam aegritudini Reverendae Paternitatis Vestrae convenientem adhibiturus sit. Quam ut propediem largiatur, ardentissimis votis optamus.

Ceterum quod Reverenda Vestra Paternitas consilium in eo, qui nunc est, rerum Reverendae Paternitatis Vestrae statu, nostrum amanter expetit, aliud ei quod consulamus pro captu nostro non habemus, quam quod hisce iam literis nostris praestitimus. Sicut enim palmae arboris est proprium, ut quo illa [f. 811] imposito onere magis praegravatur, eo magis exsurgat, ita veritatem quoque Evangelii quibusvis diaboli gravaminibus superiorem fore dubium nullum est. Neque novum hoc esse scit Reverenda Paternitas Vestra pios Ecclesiae pastores persecutionibus expositos esse, cum ne ipse Dominus, magister et doctor noster Christus ab illis liber fuerit, imo Apostolis suis futurum hoc praedixerit: Cum, inquit, alienos vos facient a synagogis etc. Et paulo ante: Ne turbetur cor vestrum neque formidet³⁾, ego vici mundum etc.

Hae et pleraeque aliae doctoris nostri consolationes cum obscurae non sint Reverendae Paternitati Vestrae, patienter gravamina quaevis ferat, non deterreatur a proposito, non vacillet, sed commissum sibi talentum faenori det, ut dulcissimam in futuro saeculo hanc vocem audiat: Hic confessus me est coram mundo, ergo nunc coram te, caelstis et aeterne Pater, illum confiteor⁴⁾. Neque frangatur Reverenda Paternitas Vestra animo, si quando atra nubes solem quasi obfuscatura videndam se praebeat, emerget tandem [f. 812] post nubila Phoebus. Atque haec ad priorem Reverendae Paternitatis Vestrae literarum partem.

Quod alteram attinet, perliberat ex metrica limites bonorum episcopalium descriptos Reverendae Paternitati Vestrae misissemus. Sed cum nomina eorum bonorum nobis transmissa sint Polonice scripta, inanis fuit in iis perquirendis labor. Quodsi recte Reverendae Paternitati Vestrae gratificari debemus, mittat ad nos Germanica eorum bonorum nomina. Tum et facilior et expeditior ad satisfaciendum Reverendae Paternitati Vestrae

ratio erit. Atque haec Reverendae Paternitati Vestrae, quam iterum atque iterum sub umbra alarum Christi conservari, protegi et defendi precamur, rescribenda esse putavimus. Datum ut supra.

A[ndreas] M[untzer]

- a) *in ms. indignationi*
1) *Isaias 46, 4.*
2) *Ioannes a Kreitzen.*
3) *Ioan. 14, 27.*
4) *Luc. 12, 8.*

N. 4956.

S.l., 22.XII.1559.

Albertus dux in Prussia

«*Richardo Bertiae, duci Suffolciae», pro litteris benevolentiae plenis et novitatibus communicatis gratias agit («ex quibus non solum politiae vestrae, verum etiam Ecclesiae religionis que statum ac propagationem verbi Dei in Anglia satis abunde et quidem hilari animo cognovimus, orantes Deum toto pectore, ut adflictae Ecclesie ubique terrarum, in quibus vera vox de Deo sonat, clementer adesse velit»).*

(*Schedula: de mercibus eius ex Samogitia navibus suis in Angliam venedis.*)

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 798-801.

N. 4957.

S.l., 22.XII.1559.

*Albertus dux in Prussia
ducissae Suffolciae*

*pro litteris, Londinii ultima Septembris datis, et muneribus missis gratias agit;
officia offert.*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 801-803.

N. 4958.

E Regio Monte, 28.XII.1559.

Albertus dux in Prussia

*R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski]
negotium limitum inter regiam Prussiae partem et Ducatum suum revidendorum ei commendat.*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 816-817.

N. 4959.

S.l., 28.XII.1559.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*rogat, ut ad revidendos fines inter regiam et suam Prussiae partem commissa-
rii, ad hanc rem deputati, generali mandato regio severius admoneantur,
«ut semotis quibusvis subterfugiis tempore anni ad hoc conveniente...
diem ei negotio auspicando constituant et ad limites descendant».*

*(Schedula: de controversiis inter regium Grudentinum et suum Marien-
werdensem districtibus componendis).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 812-815.

1560

N. 4960.

E Regio Monte, 1.I.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*de castro Marienhausen (Marienhusen) a Mosco obsidione cincto et maximo
inde periculo toti provinciae Livoniae imminente refert et rogat, «ne auxi-
lia Livoniensibus promissa in longius differat vel procrastinet».*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 823-828.

Regi Poloniae, prima Ianuarii.

Recensem miserabilem statum terrarum Livoniae ac commonefacit
eum iuris protectorii et ad vigilantiam hortatur.

Serenissime Rex etc.

Ex literis Reverendissimi Domini Archiepiscopi Rigensis, fratris mei
charissimi¹⁾, citis itineribus ad me missis intellexi, quo in discrimine ver-
setur denuo Livoniae provincia. Scribit enim Reverendissima Illustritas
Sua, posteaquam copiae Livonienses in hiberna^{a)} ductae sunt noctu, inva-
sisse Moschum manu insigniter armis et bombardis instructa castrum
Marienhausen atque ita obsidione cinxisse, ut vallo et saepo circumcirca
igne exusto, tam acriter illud oppugnarit, ut praesidibus eiusdem arcis ad
respirandum et hostium impetus propulsandos multum negotii datum sit.
[f. 824] Esse enim Moschum²⁾ furore quasi percitum, ut vires omnes suas
in Livones convertere velle dicatur, cum videat, Livoniensibus in hibernis
degentibus, ad rem bene gerendam opportunitatem sibi patere. Quia vero
S. Regia Vestra Maiestas certis conditionibus et pactis provinciam Livo-
niae in suam clientelam recepit, pro fide mea consulo, ut ne auxilia Livo-
niensibus promissa in longius differat vel procrastinet, sed primo quoque
tempore periclitantibus succurrat. Quae res uti afflictae illi provinciae
multum proderit, ita S. Regiae Vestrae Maiestati, tanquam vicino, malum
illud vicinum ad maturanda ea auxilia commune quasi est. Prudenter enim
S. Regia Vestra Maiestas providet non vulgarem aut con- [f. 825] temnen-
dum eum esse hostem, tametsi barbarus est. Capiendum, ut inquit ille, est
exemplum ab aliis, tibi quod ex usu siet.

Ita non dubito S. Regiam Vestram Maiestatem, etiam me tacente, ex
proxima Livoniensium calamitate improvisa et repentina satisque misera-
bili et deploranda prudenter imminentि periculo occursuram esse, ut flam-
mam seu incendium in vicinis parietibus adhuc haerens potius in alieno,
quam suo solo extinguat. Neque eo usque auxilia differat, ubi maxima pars

Livoniae ab hoste occupata praedationibusque et depopulando devastata fuerit. Quam ad rem si S. Regia Vestra Maiestas procrastinando liberam hosti facultatem concesserit atque eo usque vires illum sumere permiserit, ut nihil ex commeatu, quod ille non vel perdiderit [f. 826] vel abstulerit, restet, clementer S. Regia Vestra Maiestas cogitet, quam ei grave erit deficitibus victualibus suppetias Livoniensibus ferre. Itaque integris adhuc magna ex parte iis omnibus, recte S. Regia Vestra Maiestas quibusvis difficultatibus occurrere poterit. Gravis enim foret, deficiente commeatu, labor ad munitiones eius provinciae recuperandas, gravior autem et periculosior eius hostis proximior vicinitas.

Itaque subiectissime peto, ut S. Regia Vestra Maiestas non modo, quod sancte recepit, auxilia oppressis citissima et in tempore opportuno ferat, sed suo in hoc suorumque commodo invigilet. Praesidia etiam aliquanto maiora ad fines collocet, ne hostis furore aestuans ex improviso terras S. Regiae Vestrae Maiestatis invadat, praesertim cum ad me [f. 827] perlatum sit deputatos esse a S. Regia Vestra Maiestate praesidiarios in Livoniam equites tantum septingentos et mille pedites. Quae mihi manus minor sane esse videtur, quam ut vim hostis immanissimi sustinere queat. Itaque prudenter S. Regia Vestra Maiestas secum expendat, quid ex dignitate sua sit, et ad suscepti negotii procriptionem debitam requiratur.

Pluribus autem haec a S. Regia Vestra Maiestate contenderem, sed meminit S. Regia Vestra Maiestas, quid anno superiore iustis gravissimisque de causis saepe monuerim. Praestat esse vigilantem, oculatum et bene instructum, ne, quod vulgariter dici solet, accepto damno sero sapiamus. Atque haec, rebus Livoniensium in ea difficultate constitutis, syncero et candido pectore ad S. Regiam Vestram [f. 828] Maiestatem perscribenda esse duxi. Quae ut ne S. Regia Vestra Maiestas aegrius ferat, sed terrarum suarum rationem, hoste potensissimo sic excandescente, accuratam habeat, subiectissime peto. Factura rem in primis Deo gratam, sibi et vicinis populis pernecessariam, mihi vero officiosissime demerendam. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae Regiomonti.

A[ndreas] M[untzer]

- a) *in ms. hibernia*
- 1) *Gulielmus.*
- 2) *Ioannes IV Basilides.*

N. 4961.

S.l., 1.I.1560.

Albertus dux in Prussia
Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
mittit exemplar litterarum ad regem datarum (cfr. N. praeced.) et negotium
Livonicum commendat.
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 828-831.

Duci in Olika, prima Ianuarii.
Mittit exemplum praecedentium literarum negotiumque Livonicum commendat.

Illustris Princeps, Amice ac Frater nobis perchare.

Ex incluso hoc literarum ad S. Regiam Maiestatem nostrarum exemplo intellectura est Illustritas Vestra, quae ratio nos moverit scribendi ad S. Regiam Maiestatem Suam. Quia vero de studio et [f. 829] diligentia Illustratatis Vestrae in iis rebus procurandis iuvandisque, quae ad dignitatem et emolumentum S. Regiae Maiestatis spectant, dubium nobis nullum est, amanter et fraterne Illustritatem Vestram rogatam habemus, ut rebus Livoniae afflictis, sicut fecit antea, benigne faveat hortatorque S. Regiae Maiestati sit, ut periculi magnitudinem secum clementer expendat, hostiles copias in celeritate ad rem bene gerendam collocatas non leviter habeat, sed tam suarum quam vicinarum terrarum saluti in tempore conservat. Facile enim Illustritas Vestra pro sua prudentia iudicare potest, nihil eum hostem furentem quasi in S. Regiam Maiestatem et Livoniae provinciam praetermissurum esse, quod ad conatus illius promovendos spectare duxerit. Ut autem imminentि periculo S. Regia Maiestas in tempore occurrat et suae quoque dignitatis in ferendis, quod in se recepit, Livoniensibus auxiliis rationem habeat. Non aliud Illustritate Vestra hanc ad rem [f. 830] provehendam fide, autoritate et promptissima voluntate aptiorem esse scimus.

Itaque totum hoc negotium curae illius committimus, petimusque iterum atque iterum, ut S. Regiae Maiestati suasor sit, ne promissa auxilia procrastinet, suum (quod Deus avertat) ex propinquo malo metiatur atque ita Livoniensibus suppetias ferat, ne si parvae et potentissimo hoste longe impares mittentur copiae, turpe et cum indignitate S. Regiae Maiestatis coniunctum hoc esse iudicare quis possit, vel eventus rei, secus quam sperabatur, id doceat. Cuius in primis rationem habendam esse censemus. Movitque illud nos pro fidei et subiectionis nostrae debito, ut literis haec ad S. Regiam Maiestatem Suam nostris perscriberemus. Quae ut candido a nobis pectore profecta sunt, ita indigne S. Regiam Maiestatem minime laturam esse confidimus. De Illustritate quoque Vestra, cui non minor cura est incrementorum et dignitatis Serenissimi Regis sui [f. 831] atque nobis, eadem quoque nobis persuademus. Deus Optimus Maximus S. Regiae Maiestati laetissimos et fortunatos successus largiatur, illamque diu salvam et incolumem fidelibus S. Regiae Maiestatis Suae subditis conservet, Illustratatem quoque Vestram in suam protectionem receptam divinitus protegat, ut afflictis opera Illustratatis Vestrae in longa adhuc tempora subsidio esse et laborantibus patrocinari possit. Quod ut Deus faxit, ex animo Illustratati Vestrae exoptamus. Iterum atque iterum illam hisce feliciter valere percupimus. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

N. 4962.

S.l., 2.I.1560.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
iterum pro Gedanensibus intercedit (cfr. N. 4959)*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 831-834.

**Regi Poloniae, 2 Ianuarii.
Commendat negotium Gedanensium.**

Serenissime Rex etc.

Etsi paucos ante dies, quae fama vulgari ad me de Gedanensium graminibus allata erant, ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscripsi monuique sedulo, [f. 832] ut S. Regia Vestra Maiestas clementer secum expenderet, quantum sua interesset animos Gedanensium non exacerbari, vel propter unius hominis frivolam fortassis accusationem alieniores ab illa reddi. Itaque omnino sperabam fore, ut ne S. Regia Vestra Maiestas, omnibus bene examinatis, pateretur durius aliquid in senatum Gedanensem decerni. Quia vero senatum eum intellexi, praeter omnem expectationem et reiectis quibusvis procuratoris illius exceptionibus, a tribunali S. Regiae Vestrae Maiestatis non in contumaciam tantum, verum et in poemam dupli principalis debiti condemnatum esse, non parum equidem eo accepto nuntio animo conturbatus sum, cum quod permoleste illud incolas civitatis eius ferre cognovi, tum quod sententiam eam in senatum latam disertissime privilegiis terrarum Prussiae pugnare dicunt.

[f. 833] Quae res quantum sauciare animos fidelium S. Regiae Vestrae Maiestatis subditorum posse videatur, ipsa Maiestas Vestra prudentius me intelligit. Quo fit, ut pro fide mea praetermittere non potuerim, quin denuo maiorem in modum S. Regiam Vestram Maiestatem obsecrarem, ut pluris faciat totam civitatem, de maioribus S. Regiae Vestrae Maiestatis et ipsa quoque Maiestate Vestra bene meritam, quam frivolas unius hominis ob rem levem accusations. Aptissime autem et apposite his omnibus S. Regia Vestra Maiestas consulere poterit, si decretum contra senatum eum latum vel tollat, vel in adventum legatorum eius civitatis, iter iam Vilnam habentium, suspendat clementerque ea sibi in memoriam reducere dignetur, quae hoc nomine proxime ad illam perscripsi. Neque eo se adduci patiatur, ut contra privilegia quid decretum esse iure quis queri possit. Quemadmodum [f. 834] etiam me non monitore S. Regiam Vestram Maiestatem facturam esse confido. Erit hoc honorificum S. Regiae Vestrae Maiestati atque ex re illius et tranquillitati Reipublicae Gedanensis plurimum commoda-bit. Mihi vero rem factura est officiosissime demerendam. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

N. 4963.

S.I., 2.I.1560.

Albertus dux in Prussia

*Vincentio Ruszkowski (Rauske), stipatori regio,
de meliore regis valetudine gaudet; reginae Catharinae cum reginulis faustum
iter Vilnam exoptat; sperat Christophorum Jonam, consiliarium et orato-
rem suum, mox a rege auditum et expeditum iri; rogat, ut diligenter curare
velit, quo litterae sua regi tempestive reddantur; auditu sibi iucundum
fuisse nuntiat regem oppressis ab hoste Livonibus in auxilium venturum
esse.*

(Germanice)

Cfr. El. L, N. 581.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 402-403.

N. 4964.

S.l., 5.I.1560.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Chodkiewicz

nuntiat ad se relatum esse illum a rege «certis quibusdam in Livonia copiis praefectum esse» et «rei bene gerendae successus» illi precatur; rogat, ut crebro ad se litteras dare et rerum Livonicarum statum sibi significare velit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 834-835.

N. 4965.

S.l., 9.I.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro senatu civitatis Thoruniensis, ab episcopo Culmensi excommunicato, quod «pios concionatores, christianam, puram et veram religionem publice docentes, ad mandatum suum ab officio concionandi amovere et civitate eiicere recusaverint».

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 835-840.

Regi Poloniae, 9 Ianuarii.

Pro Thorunensibus contra Episcopum Culmensem¹⁾.

Serenissime Rex etc.

Queritur senatus civitatis Thorunensis se a Reverendo in Christo Patre, Domino Episcopo Culmensi, excommunicatum esse, propterea quod pios conciona- [f. 836] tores, christianam, puram et veram religionem publice docentes, ad mandatum suum ab officio concionandi amovere et civitate eiicere recusaverint. Habere se enim eos concionatores, siquidem Augusta- nam (ut vocant) confessionem profiterentur, pro haereticis, senatum vero ipsum pro haereticorum receptore, defensore et faatore. Etsi autem senatus iustis, piis et firmis argumentis docuisse, cur imperata Reverenda Pater- nitatis Suae exequi non posset, ac submisso petiisset se contra eum recessum, qui Petricoviae et Varschoviae in religionis negotio a S. Regia Vestra Maiestate omnibus Regni et terrarum suarum ordinibus usque ad univer- sale vel nationale concilium datus esset, non praegravari, nihil tamen pro- fecisse, quin appellationem etiam ad Reverendissimum Dominum Archi- episcopum Rigensem, fratrem meum charissimum²⁾, tanquam Metropolita- num episcopatum [f. 837] Culmensis³⁾ competentem, a praedicto Domino Episcopo (tametsi Reverandissimam Paternitatem Suam pro Domino et Metropolitanu suo agnoverat) prorsus denegatam sibi fuisse. Praetendisse enim Dominum Episcopum in notoriis, sicut haec a Romana ad Augustanam confessionem Thorunensium defectio notoria, criminalis et diabolica esset (salvo tamen Christi, salvatoris et doctoris nostri, iudicio), locum deferenda appellationi dandum non esse.

Haec cum gravibus querimonii ad me perlata sint, ingenue quod res est fateor, me, quo maior est in S. Regiam Vestram Maiestatem observan- tia mea fideique integritas, eo vehementius vicem fidelium S. Regiae

Vestrae Maiestatis subditorum commiserando dolere, cum quod persuasum mihi habeo haec inscia procul dubio S. Regia Vestra Maiestate, uti Rege christianissimo, agi, tum quod usque adeo propter [f. 838] agnitam veritatem evangelicam subditi bene de S. Regia Vestra Maiestate meriti praeggravantur multorumque animae, salutem et beatitudinem aeternam sitientes, a fonte vitalis aquae arcentur. Et quid autem aliud esset pios pastores, genuinam ac puram Evangelii doctrinam profitentes et ad caelestia regna veram eandemque unicam viam ab ipso doctore Christo traditam monstrantes, templis et civitate eiicere, quam ipsum Christum, fores pulsantem ac veniam delictorum nostrorum ultro et gratis nobis offerentem, non a vestibulo tantum prohibere, sed misericordia illius excussa aqua ei atque igni insuper interdicere? Quem tamen plenis, quod dici solet, ulnis excipere et amplecti conveniebat.

Quia vero pium S. Regiae Vestrae Maiestatis cor et animum in vera fundamenti salutis nostrae agnitione consistere scio, facile mihi persuadeo minime probaturam esse S. Regiam Vestram Maiestatem [f. 839] Domini Episcopi Culmensis acrem eiusmodi excommunicationis in Thorunenses censuram, sed pro sua singulari pietate fideles subditos suos in protectiōnem et tutelam suam clementer recepturam esse, neque aliquam excommunicationis executionem permissuram. Quae ut sine perturbatione tranquillitatis publicae institui et fieri nequit, ita ex uno incommodo dato plerumque aliud vicinum nasci solet. Quorum rationem providam, si alia unquam, certe praesentia haec tempora habendam esse monent, idem multa veterum et recentium exempla passim quoque testantur. Quae quo notiora S. Regiae Vestrae Maiestati esse scio, eo maiore studio et diligentia proque fide mea peto et consulo, ne Thorunenses ita exagitari, neve liberis fidei illorum conscientiis in rebus, salutem animarum concernentibus, cum quivis iustus sua et non aliena fide victurus [f. 840] sit, frena inicii patiatur, clementerque hoc illis indulget, quod omnibus Regni ordinibus per Petricoviensem et Varschoviensem recessum permisit. Quod facturam esse S. Regiam Vestram Maiestatem plane confido. Erit hoc Deo opus gratum et acceptum et pro eo S. Regiae Vestrae Maiestati in futuro saeculo merces magna, in toto autem Orbe Christiano gloriosum ei et celebre fidelibusque subditis salutare. Ego vero illud perpetuis obsequiis demererri studebo. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

- 1) *Ioannes Lubodzieski, episcopus Culmensis a. 1552-60.* 3) *Diocesis Culmensis bulla Alexandri IV Cum universis de die 31.III.1255 archiepiscopo Rigensi tamquam metropolitae subiecta erat.*
2) *Gulielmus.*

N. 4966.

S.l., 9.I.1560.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwitt, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
rogat, ut pro pietatis suae zelo, quo praecipue eos, «qui persequutionem propter veram religionem patiuntur», protegit et defendit, pro Toruniensibus afflictis operam et auctoritatem suam interponat (cfr. N. praeced.).
(Latine)*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 840-842.

N. 4967.

S.l., 13.I.1560.

Albertus dux in Prussia

Vincentio Ruszkowki, stipatori regio,

pro litteris suis regi diligenter et tempestive in manus proprias traditis gratias agit; hortolanum, quem ad quinquennium sibi concedi petebat, se ei nunc commodare non posse nuntiat, cum ipse illius opera opus habeat; rogat, ut nova ex aula regia et alia sibi perscribere non dedignetur.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 403-403v.

N. 4968.

S.l., 18.I.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

iterum pro Friderico III duce Legnicensi intercedit et rogat, ut auctoritatem suam pro illo apud imperatorem interponat, ut in castro aliquo in Ducatu suo detineatur, nec accessu uxoris et liberorum prohibeat (cfr. N. 4941).

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 843-845.

Regi Poloniae, 18 Ianuarii.

Pro Duce Legnicensi, ut in castro aliquo sui Ducatus asservetur, nec accessu uxoris et filiorum prohibeat.

Serenissime Rex etc.

Etsi non dubito, quin S. Regia Maiestas Vestra meas, ad 18 mensis Novembris proxime praeteriti datas, quibus de afflito ac dolendo rerum Illustris Domini Friderici Ducis Legnicensis¹⁾ statu scripsi, acceperit, indeque intercessione mea precibusque cognitis Illustritatis Suae negotium ad Serenissimam Caesaream Romanorum Maiestatem²⁾, Dominum mihi clementissimum, pro regia sua authoritate benige iuverit ac promoverit, tamen cum Illustritatis Suae coniunx charissima³⁾ nunc denuo multis precibus vehementer et amanter me obtestata sit, ut eam causam S. Regiae Maiestati Vestrae, in qua omnem spem suam posuit, iterum per literas meas commendarem, non potui ei hoc officii seu obsequii genus, pro summa nostra necessitudine [f. 844] et coniunctione, denegare. Quare S. Regiam Maiestatem Vestram maiorem in modum etiam atque etiam submisso oro, ut miserum et calamitosum dicti captivi Principis statum et conditionem clementer considerare, idque sua regia intercessione et auctoritate ad Serenissimam Caesaream Romanorum Maiestatem operam dare velit, quo Sua Illustritas ex molestissima ista custodia dimittatur, aut si hoc impetrari precibusque obtineri nullo modo potest, haec saltem clementia illi exhibeat, ut in aliquo Ducatus sui castro sub custodia asservetur, sicque statuatur, ne coniugi liberisque Suae Illustritatis aditus, accessus et conversatio cum eo paecludantur, neve illis aut ad hereditatem Ducatus plenarie adipiscendam, aut Ducissae ad dotalia sua bona obtinenda haec Ducis captivitas ullo modo fraudi sit, denique ut necessariam et [f. 845] principe dignam habeat in ea custodia provisionem. Iterum subiectissime

petens, quoniam Illustritas Sua omnem spem in gratia, favore, intercesione et authoritate S. Regiae Maiestatis Vestrae collocatam habet, S. Regia Vestra Maiestas non modo per literas, verum etiam per legatos suos, quos apud Caesaream Maiestatem hoc tempore habet, diligenter et accurate captivi huius Principis negotium agendum tractandumve mature curet.

Hoc si S. Regia Maiestas Vestra, uti minime dubito, fecerit, non modo a Sua Illustritate immortales gratias et perpetuam huius clementis beneficiorum gratitudinem meruerit, sed etiam ab omnibus Suae Illustritati necessitudine devinctis magnam inibit gratiam. Et ego quibus possum officiorum debitorum generibus subdite promerebor. Commendo S. Regiam Maiestatem Vestram Deo Optimo Maximo longis temporibus incolunmem et felicem conservandam. Datae.

C[onstantinus] S[ilvius]

- 1) *Fridericus III.*
- 2) *Ferdinandus I.*
- 3) *Catharina, filia Henrici ducis Megapolensis.*

N. 4969.

S.l., 19.I.1560.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Pawłowicz Podskarbowicz (Potzkonwitz)
litteras eius, 12.I ex Drutowiszki datas, quibus propositum suum uxorem
denuo sumendi annuntiabat et se ad nuptias 28.I. celebrandas invitabat,
se accepisse significat et omnia fausta et felicia ei precatur; rogat tamen,
ut tam propter loci distantiam quam temporis angustiam excusum se
habeat, quod in persona ad nuptias eius se conferre non possit, sed unum
ex capitaneis suis, Ragnetensem vel Tilsensem, loco sui mittere promittit.

(Germanice)

Cfr. El. XLI, N. 1725.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 403v-404v.

N. 4970.

S.l., 20.I.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae
nobilem Ioannem Worobowski, regis subditum, qui per triennium in Academia Regiomontana bonis litteris operam navavit et nunc negotii cuiusdam causa in patriam profiscitur, commendat et petit, ut eum eiusque
negotium regia clementia tueatur ac promoveat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 886-847.

N. 4971.

S.l., 20.I.1560.

Albertus dux in Prussia

Henrico a Dohna

rogat, ut litteras suas pro Friderico III duce Legnicensi captivo intercessorias ad regem scriptas regi ad manus proprias porrigat et causam illius miseri principis commendet, quo operam suam apud imperatorem pro illo interponat (Cfr. N. 4968).

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 404v-405.

N. 4972.

S.l., 25.I.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

litteras Ioannis Philippi, Rheingravii, comitis in Salm et praefecti militiae apud regem Galliae, ab Alexandro Ruszkowski sibi missas, transmittit et eundem comitem, «rei militaris peritissimum» et «ab omnibus praesertim militibus et bellicarum rerum studiosis in magna aestimatione... habitum», commendat («Si S. Regia Maiestas Vestra externo milite et auxiliis contra Moschum utendum censuerit, det operam clementer, ut huius Rheingravii ratio aliqua habeatur»).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 847-849.

N. 4973.

S.l., 25.I.1560.

Albertus dux in Prussia

Stanislaw Ostrorog, castellano Miedzyrzecensi,

litteras eius, 1.XII.1559 ex Grodzisko datas, quibus pro castellana Covalensi [Ursula de Sieprc Lwowska] intercedebat, ut ei subditi profugi in Prussia apud quendam Szymbarski vel praefectum Schonbergensem latitantes redherentur, se accepisse nuntiat et dicto Szymbarski iniunxisse, ut eos castellanae sine tergiversatione, ubicumque inventi fuerint, restituat.

(Latine)

Cfr. El. XL, N. 1723.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 849-850.

N. 4974.

S.l., 31.I.1560.

Anna Maria dux in Prussia

Petro Paulo Vergerio

pro epistula dedicatoria sibi inscripta gratias agit; studium eius in propaganda doctrina christiana laudat; precatur, ut rebus omnibus ex voto confectis revertatur.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 853-855.

Petro Paulo Vergerio nomine Principis Annae Mariae, ultima Ianuarii.
[f. 854] Gratias agit pro inscriptione nominis sui in epistola dedicatoria etc.

Reverende, Amice nobis singulariter dilecte.

Reddedit nobis Illustris Princeps, Dominus et consors noster charissimus, Reverendae Dominationis Vestrae literas perhumaniter ad nos scriptas. Ex quibus intelleximus, quo consilio epistolam dedicatoriam nobis inscripserit, illamque remitti ad se propediem cupiat. Ac in primis gratum nobis est erga nos studium hoc Reverendae Dominationis Vestrae, gratior autem in propaganda doctrina christiana pietas. Ut autem in declaranda gratitudine nostra nullam occasionem praetermissuri sumus, ita Deum Optimum Maximum labore Reverendae Dominationis Vestrae, pro aedificanda Ecclesia susceptum, aeternis praemiis compensaturum esse minime dubitamus. Eritque Reverendae Dominationis Vestrae merces pro eo in coelis maxima.

Ceterum quod Reverenda Dominatio Vestra res omnes nobis secundas exoptat filiumque nostrum¹⁾ plurimum se amare scribit, facile perspicimus facere hoc Reverendam Dominationem Vestram pro [f. 885] pietate sua et ex abundantia amoris in nos et Illustratatem illius singularis sui. Estque nobis id ipsum, sicut cetera omnia, longe gratissimum. Sic sane, ut vicissim Reverendae Dominationi Vestrae non modo eadem, sed uberiora et faustiora omnia obvenire ex animo cupiamus. Dominus Deus Reverendam Dominationem Vestram pro amplificanda gloria sua tam in itinere hoc suscepto protegat, quam rebus omnibus ex voto confectis bene valentem ad nos reducat firmumque et in seros annos incolumitatem et rerum omnium felicissimos successus largiatur. Quod superest, nos cum charissimo Domino consorte nostro dilectisque liberis nostris orationibus Reverendae Dominationis Vestrae commendatos haberi petimus. Nos vicissim nostris in preculis Reverendam Dominationem Vestram non excludemus. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Albertus Fridericus.*

N. 4975.

S.l., 1.II.1560.

Albertus dux in Prussia

Petro Paulo Vergerio

epistulam dedicatoriam nepotis eius remittit; liberum ei esse nuntiat, ut de recudendis contra episcopum Varmensem dialogis cum typographo paciscatur; cupid, ut rebus omnibus ex voto confectis ad se redeat; mittit exemplum «conditionum papisticarum» et imperatoris ad eas responsi.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 851-853.

Petro Paulo Vergerio, prima Februarii.

De opera typographi etc. De dialogis contra Episcopum Varmensem¹⁾ excudendis. Mittit conditiones papales et S. Caesareae Maiestatis²⁾ responsum ad easdem etc.

Reverende ac Eximie, Amice nobis sincere dilecte.

Redditae nobis sunt literae Reverendae Dominationis Vestrae cum epistola dedicatoria nepotis sui ad nos remissa. Quam paucis quibusdam, ut et argumento et idiomati Germanico convenientiora ac nepoti quoque Reverendae Dominationis Vestrae ornamento essent, immutatis, cum hisce remittimus, clementer cupientes, ut ne Reverenda Dominatio Vestra hoc de nobis aegrius ferat.

De recudendis contra Episcopum Varmensem dialogis non repugnat concionator noster Eplinus, ut Reverenda Dominatio Vestra tertio utatur operario. Id enim se et antea Reverendae Dominationi Vestrae permisisse, neque sententiam adhuc mutasse ait. Liberum [f. 852] itaque erit Reverendae Dominationi Vestrae, ut cum typographo hac de re paciscatur. Quod ad mercedem attinet, quam Reverenda Dominatio Vestra se famulis Daubmannis³⁾ pro imaginibus, cathalogo haereticorum et libello de Papa femina debere scribit atque illam persolvi a nobis petit, de hac cum nihil nobis antea constaret, quanta esset, perquiri iussimus. Quia vero indicatum nobis est debiti illius summam esse aliquot supra marcas triginta Prutenicales, in gratiam Reverendae Dominationis Vestrae onus solvendi in nos recepimus.

Quod maturaturam se Reverenda Dominatio Vestra redditum ad nos suum promittit, precamur, ut id rebus omnibus dextre expeditis, cum incolumitate et salute Reverendae Dominationis Vestrae fiat, ut quam nobis benigne quoque operam navare recepit, in ea ne praepediatur.

Conditionum papisticarum et responsi imperatorii exemplum evanuisse Reverendae Dominationi Vestrae [f. 853] non miramur, siquidem mille artifex Sathan pro se suoque grege vigilis excubias agit et nocitura sibi qua potest arte subvertit. Mittimus autem Reverendae Dominationi Vestrae aliud exemplum precamurque Deum, ut eo ipso per Reverendam Dominationem Vestram Ecclesiae suae plurimum commodetur.

Quod reliquum est, Reverendam Dominationem Vestram rectissime valere optamus precamurque, ut talentum sibi divinitus concreditum cum magno fenore in futuro saeculo ad nominis Dei gloriam amplificandam et salutem multorum Christi fidelium ad patrem coelestem referat et piorum messem numerosam reddat. Quam ad rem provehendam conatus Reverendae Dominationis Vestrae pios spiritu sancto regi et gubernari orationibus nostris ab ipso Deo flagitare non cessabimus. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Stanislaus Hosius.*

2) *Ferdinandus I.*

3) *Ioannes Daubmann, typographus Regiomontanus.*

N. 4976.

S.l., 3.II.1560.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Hegemoni (Hegeman), armifactori regio,
de modis argenti et cupri Olkussiensis sibi coemendi et de variis eorundem
metallorum pretiis.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 405-407v.

N. 4977.

S.l., 4.II.1560.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
Georgium a Suchten, subditum suum, negotium quoddam habentem «consi-
stens in S. Regiae Maiestatis liberalitate», quod ei non esse ignotum
affirmat, commendat et rogat, ut hoc eius negotium promovere velit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 857-858.

N. 4978.

S.l., 4.II.1560.

Albertus dux in Prussia

*Hieronymo Modliszewski, capitaneo Lomzensi,
Philippum Grüne, hominem militarem, cui ratione coniugis suaem
bona coram iudicio ordinario Lomzensi petenda sunt, commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 856-857.

N. 4979.

S.l., 7.II.1560.

Albertus dux in Prussia

*Catharinae reginae Poloniae
litteras eius, 13.I. ex Wieluń datas, sibi redditas esse nuntiat; pro commisera-
tione sua propter pestem in Polonia grassantem tanta gratiarum actione,
atque excusatione, quod manu propria non scripserit, opus non fuisse
censem; faustum iter Vilnam versus et prosperam valetudinem ei precatur;
quod rex cum imperatore non convenerit, dolet, sed addit iucundum sibi
fuisse auditu adventum archiducis Ferdinandi a rege exspectari; duo vasa
vini Rhenensis mittit et rogat, ut ea clementer accipere velit.*

(Germanice)

Cfr. El. XXXI, N. 789.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 408v-410v.

N. 4980.

S.l., 7.II.1560.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

*litteras eius, 12.I. ex Wieluń datas, se accepisse nuntiat et pro novis sibi com-
municatis gratias agit; rogat, ut crebro scribat et nova scitu digna signi-
ficet; duo vasa vini Rhenensis mittit et petit, ut ea una cum adiunctis lit-
teris reginae Catharinae reverenter tradat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 408-408v.

N. 4981.

S.l., 7.II.1560.

Albertus dux in Prussia

*Vincentio Ruszkowski, stipatori regio,
litteras eius, 26.IV.1559 a. Vilnae datas, se accepisse nuntiat et rogat, ut cre-
brius scribat et novitates, praecipue de Moscovitis, communicet; affini
eius Biliński, sibi commendato, se permisisse significat, ut ventosum
molendinum sibi exstrueret, aquosum tamen se ei concedere non posse.*

(Germanice)

Ostrpr. Fol., vol. 45, ff. 410v-411.

N. 4982.

S.l., 7.II.1560.

Albertus dux in Prussia

*Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,
pro equis sibi missis gratias agit et scribit tanta gratiarum actione pro equo
a se ei misso opus non fuisse; de reginae Catharinae felici Vilnam adventu
gaudet; rogat, ut crebro scribat et nova significet.*

(Germanice)

Ostrpr. Fol., vol. 45, ff. 411v-412.

N. 4983.

S.l., 8.II.1560.

Albertus dux in Prussia

*Ioanni Dulski, aulico regio,
petenti, ut ad nuptias eius cohonestandas unum ex servitoribus suis mittat,
respondet se postulato eius satisfacere non posse, cum de die nuptiarum
sibi non constet; rogat, ut de dicto die se certiore reddat.*

(Latine)

Ostrpr. Fol., vol. 55, ff. 858-859.

N. 4984.

S.l., 9.II.1560.

Albertus dux in Prussia

*R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski]
rogat, ut litteras intercessorias pro Melchiore Kirchoff, consule Rigensi, ad
archiepiscopum Rigensem [Gulielmum] et magistrum Livoniae [Gottar-
dum Kettler], a rege iam concessas, de meliore nota scribendas curet et ad
se mittat.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1732.

Ostrpr. Fol., vol. 55, ff. 859-862.

N. 4985.

S.l., 9.II.1560.

Albertus dux in Prussia

«an rath zu Trepkaw»

pro studio et diligentia in negotio subditi sui, Thomae Ranisch, exhibita gratias agit et idem eius negotium iterum commendat, quo debitam sibi ab eorum proconsule, Ioanne Hunger, pecuniam recuperare possit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 412v-413.

N. 4986.

S.l., 10.II.1560.

Albertus dux in Prussia

episcopo Vladislaviensi [Iacobo Uchański]

*nuntiat in veteribus Cancellariae suaे codicibus nomina pagorum, in elencho
sibi missō nominatorum, non inveniri.*

Cfr. El. XLI, N. 1729.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 862-864.

Episcopo Wladislaviensi, 10 Februarii.

Scribit in veteribus Cancellariae codicibus de limitibus quorundam
pagorum et urbium nihil inventum esse.

Reverende in Christo Pater, Amice nobis perchare.

Ad postulata Reverenda Paternitatis Vestrae mandavimus Cancellariae nostrae praefectis, ut bonorum limites iuxta praescriptum Reverenda Paternitatis Vestrae diligenter in veteribus codicibus perquirerent. Ipsi nobis retulerunt, se ne praefecturas quidem Liebscho- [f. 863] schensem scilicet et Scophausensem in iisdem codicibus, multo minus nomina pagorum in illis invenire. Neque in Neoburgensi, Lauenburgensi et Pucensi districtu earum villarum nomina esse, quae in catalogo^{a)} Reverenda Paternitatis Vestrae continentur. De Wladislaviensibus civitatibus prorsus nihil. Dolemus itaque maiorem in modum, quod in re tantilla, ut percuferemus, postulatis Reverenda Paternitatis Vestrae satisfacere facultas nos deficit, siquidem et in maioribus, pro rationum nostrarum tenuitate, bene de Reverenda Paternitate Vestra mereri nihil in nobis desiderari passuri essemus. Itaque ut ne Reverenda Paternitas Vestra aegrius hoc de nobis accipiat secusve interpretetur, peramice petimus. Ea enim in Reverendam Paternitatem Vestram ferimur benevolentia, ut pro singulari in illam amore nostro nihil magis quam re ipsa ad contestandam propensissimam voluntatem nostram occasionem praeberi nobis exoptaremus. Daturi enim essemus operam, ut quam [f. 864] Reverenda Paternitas Vestra de nobis fiduciam concepit, in ea ne frustretur. Quod superest, Reverendam Paternitatem Vestram feliciter valere cupimus. Datum.

A[ndreas] M[untzer]

a) in ms. cathalogo

N. 4987.

S.l., 12.II.1560.

Albertus dux in Prussia

*Stanislaw Skaszewski, capitaneo Jurborgensi et Bothocensi,
pro perdicibus sibi missis, et quod ducissam Megapolensem [Annam], consan-
guineam suam, cum filio [Carolo] hospitio excepit et laute tractavit, nec-
non fratrem suum Gulielmum, archiepiscopum Rigensem, tantopere
observat, gratias agit; pro litteris ad regem commendaticiis tanta gratia-
rum actione opus non fuisse scribit.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1731.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 864-865.

N. 4988.

S.l., 12.II.1560.

Albertus dux in Prussia

*Eustachio Wołłowicz, M.D.L. marscalco,
pueros eius necessarios, favori et gratiae suae commendatos, se clementia sua
complexum esse et porro etiam pro commendatissimis eos habiturum esse
nuntiat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 866.

N. 4989.

S.l., 13.II.1560.

Albertus dux in Prussia

*capitaneo Lomzensi [Hieronymo Modliszewskij]
servitorum suorum incuria duos boves amissos esse nuntiat, quorum alterum
capitaneo suo Johannisburgensi redditum, alterum a vicecapitaneo eius
Lomzensi detineri; rogat, ut curare velit, quo dictus bos servitoribus suis,
hoc nomine istuc missis, restituatur.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 886-867.

N. 4990.

S.l., 14.II.1560.

Albertus dux in Prussia

*palatino Trocensi [Nicolao Radziwill «Rufo»]
litteras eius, quibus filium Petri Oborski, capitanei Birzensis, sibi commenda-
bat et petebat, ut illum apud filium suum [Albertum Fridericum] educan-
dum et instituendum curaret, se accepisse nuntiat et, quamquam filius*

suus multos iam studiorum socios habeat, in gratiam eius se illum in aulam suam recepturum esse; rogat, ut se per occasionem regi commendet.

(*Latine*)

Cfr. El. XL, N. 1715.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 867-869.

N. 4991.

S.l., 14.II.1560.

Albertus dux in Prussia

Petro Oborski, capitaneo Birzeni,

licet filius suus multos iam studiorum et educationis socios habeat, se tamen petitioni eius satisfacturum esse nuntiat et filium eius Albertum, tam propter officia a patre fratri suo Gulielmo, archiepiscopo Rigeni, praestita, quam ob commendationem «ducis Dubincensis et Birzensis» [Nicolai Radziwill «Rusi»], filio suo adiuncturum esse respondet (cfr. N. praeced.)

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 869-70.

N. 4992.

S.l., 15.II.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

palatinum Marienburgensem [Achatium Czema], iussu regis Vilnam iter facientem, laudibus extollit et commendat; petit praeterea, ut illi, nomine quoque suo regi quaedam relatuero, plenam habeat fidem.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 873-875.

N. 4993.

S.l., 15.II.1560.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski] et, mutatis mutandis, Nicolao Radziwill «Nigro» doctorem Christophorum Jonam, consiliarium suum, ad se reversum, multa sibi de eius erga se studiis enarrasse nuntiat et sibi ipsi gratulatur talem sibi in eo amicum obtigisse et benevolentiam vicissim suam ei defert; rogat, ut palatino Marienburgensi [Achatio Czema] Vilnam proficiscenti, etiam nomine suo regi et ei quaedam relatuero, plenam fidem adhibeat.

(*Latine*)

Cfr. El. XLI, N. 1728.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 870-872.

N. 4994.

S.l., 17.II.1560.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
rogat, ut auctoritatem suam et operam interponere velit, quo in causa Forten-
bachiorum iustitia administretur et aequa sententia promulgetur.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 875-877.

N. 4995.

S.l., 17.II.1560.

Albertus dux in Prussia

castellano Lublinensi [Floriano Zebrzydowski]

*pro studio et opera in causa Fortenbachiorum ab eo impensa, de qua consi-
liarium suum, doctorem Christophorum Jonam, sibi rettulisse scribit, gra-
tias agit; gaudet occasionem sibi contigisse cum eo etiam firmandae ami-
citiæ, cum sibi vetus cum fratre eius Andrea, episcopo Cracoviensi, inter-
cedat amicitia; rogat, ut – cum causa Fortenbachiorum usque ad definiti-
tivam sententiam perducta sit – det operam, quo sententia crita procrasti-
nationem feratur.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 878-880.

N. 4996.

S.l., 17.II.1560.

Albertus dux in Prussia

Petro Paulo Vergerio

*exemplar confessionis ducis Wirtembergensis in linguam Polonicam conver-
sum, «sed in articulo Cenae Dominicae mutilatum», se accepisse et
theologis suis examinandum dedisse nuntiat; eorundem theologorum sen-
tentiam de eo latam transmittit; de felici eius Caunam adventu gaudet;
sperat fore, ut novo etiam papa creato, «pessimo homine», Deus lucem
Evangelii extingui non sit permitturus; de animo regis «ad veritatem
evangelicam propendente» gratulatur; mittit aliqua nova.*

*(Schedula: sententiam theologorum de articulo Eucharistiae, cum tam
cito scribi non potuerit, ei postea missum iri).*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 881-885.

Petro Paulo Vergerio, 17 Februarii.

Respondet ad literas binas etc. De mutilato articulo Cenae Dominicae,
de novo Papa¹⁾ et alia quaedam nova etc., quae partim vera, partim
falsa sunt.

Reverendae atque Eximie, Amice nobis singulariter dilecente.

Binas accepimus a Reverenda Dominatione Vestra literas diversis tem-
poribus scriptas, quae nobis fuerunt iucundissimae. Quod ad priores atti-

net, cum quibus nobis transmissum est exemplar confessionis Illustrissimi Ducis Wirterbergen[s]is²⁾ 2), consanguinei nostri charissimi, in linguam Polonica[m] conversum, sed in articulo Cenae Dominicae mutilatum, ut appareat, secundum Reverendae Dominationis Vestrae postulata, partemque eam, cum dicti Domini Ducis confessione dissentientem, theologis nostris examinandam dedimus. Illi quid iudic[emus] de eo tulerint, scriptum hisce adiectum docebit. Percuperemus, ut quotquot Christi nomen profitemur, veritatem evangelicam iactamus, [f. 882] normam quoque unicam eandemque fidei et professionis, quam ipse omnium doctor noster Christus nobis praescripsit, sequeremur, neque novi aliquid ipsi nobis humana sapientia quaesitum statueremus, quod desertissimis Christi verbis, si non pugnare, certe alienam illis sententiam affingere velle videri posset.

Quid Reverenda Dominatio Vestra alteris suis literis se incolumem Caunam usque pervenisse scribit, iucundissimum nobis fuit cognitu, precamurque, ut integris viribus Vilnam quoque ingrediatur atque ex sententia res omnes suas conficiat.

De Papa novo creato¹⁾, quem Reverenda Dominatio Vestra pessimum hominem esse scribit, esset sane, cur vicem Ecclesiae christianaे doleremus. Sed cum haec aetas nihil in ea creatione novi parturiisse videatur, eventum omnem Deo committimus, siquidem in ipso solo contra præstigias omnes Sathanæ vivimus, [f. 883] movemur et sumus, qui cum per tot iam saecula obscurari veritatem passus non sit, neque nunc lucem Evangelii extingui permittet. Quod si fluctuantem Ecclesiam dormiens interdum non curare quasi videbitur, tamen piorum orationibus somno excitus vim ventorum et maris procellas, tyrannos scilicet et hostes Ecclesiae, compescet, ut in eo coetu, quamvis pusillo, quem sibi omnibus temporibus colligit, glorificetur in perpetuum.

Quod Reverenda Dominatio Vestra in iisdem literis suis operam nobis suam in negotiis nostris defert, facit hoc pro suo in nos amore. Faxit Deus, ut feliciter ei omnia succedant, utque eo, quem sibi in his impedimento fore metuit, superior evadat.

De animo Serenissimi Regis nostri ad veritatem evangelicam propendente gaudemus. Utinam Dominus Deus, quod S. Regia Maiestas Sua metu quorundam clam adhuc habet, non modo in illa confirmet, [f. 884] sed palam etiam cum multarum animarum salute coram mundo intrepide hoc ipsum confiteri illum faxit atque cor animumque S. Regiae Maiestatis Suae spiritu sancto suo contra quosvis diaboli insultus corroboret. Pro quo preces ad Deum nostras sine intermissione effundere non cessabimus.

Nova haec Reverendae Dominationi Vestrae communicanda esse duximus. Illustris affinis noster, Dominus Fridericus³⁾ Palatinus Comes ad Rhenum Elector, filiam suam desponsavit Landgraffii Hassiae⁴⁾ filio, celebrabuntur nuptiae die Dominica Esto mihi⁵⁾ proxima. Dominus Deus matrimonium hoc felix et faustum esse velit. Amice petentes, ne gravetur Reverenda Dominatio Vestra nobis per opportunum aliquem nuntium de rebus nostris, et quae praeterea istic aguntur, quantum scire nobis licet, communicare. Rem nobis factura gravissimam^{a)}. Atque haec Reverendae Dominationi Vestrae prescribenda esse duximus. Datae.

Cedula [f. 885]

Etsi scribimus hisce in literis intellecturam esse Reverendam Dominationem Vestram ex scripto theologorum nostrorum, quid ipsi sentiant de articulo sacrameti Eucharistiae in Polonica translatione, sicut novit Reverenda Dominatio Vestra, mutato, tamen quia scriptum illud tam cito con-

fici non potuit, cognoscet Reverenda Dominatio Vestra illorum omnium sententiam brevibus ex literis Domini Praesidis Sambiensis^{5a)}. Quod festinanter nuntio hoc expedito celare Reverendam Dominationem Vestram nolumus. Hoc die nobis nuntiatur eximium virum Doctorem Ioannem Brentium⁶⁾, Doctorem Matthaeum Aulbergum⁷⁾ et Calvinum⁸⁾ quoque diem ultimum suum obiisse. Quod etsi certo non affirmamus, tamen sicut ad nos perlatum est, ita Reverendae Dominationi Vestrae communicamus. Datum ut supra.

A[ndreas] M[untzer]

- | | |
|---|---|
| a) <i>fortassis debebat esse: gratissimam.</i> | 4) <i>Philippus Magnanimus.</i> |
| z) <i>sic in ms.</i> | 5) <i>24.III.1560.</i> |
| 1) <i>Pius IV (Iohannes Angelus Medici), electus 25.XII.1559, consecratus 6.I.1560.</i> | 5a) <i>Iohannes Aurifaber.</i> |
| 2) <i>Christophorus, dux Wirtembergensis († 1568).</i> | 6) <i>Iohannes Brenz, theologus Lutheranus, obiit 11.IX.1570.</i> |
| 3) <i>Fridericus III († 1576).</i> | 7) ? |
| | 8) <i>Calvinus obiit 27.V.1564.</i> |

N. 4997.

S.l., 20.II.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Martinum Royzium Maureum, Hispanum, ad regem proficiscentem et per Ducatum suum iter facientem, se aliquot diebus apud se detinuisse nuntiat et rogat, ne rex «hanc illi commorationem, sive detentionem potius, fraudi esse patiatur».

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 886.

N. 4998.

S.l., 21.II.1560.

Albertus dux in Prussia

palatino Masoviae [Stanislao Ławski]

pro Philippo Grüne, subdito suo, cum fratribus coniugis sua de bonis quibusdam, in districtu Lomzensi sitis, controversiam habente, intercedit et rogat, ut quod «aequitas et ius dictabit» subdito suo concedat et provideat, «ne quis extra iuris viam violentiae aliquid in illum de facto sibi praesumat».

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1734.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 887-889.

N. 4999.

S.l., 24.II.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Paschatis tempore appropinquante, in quo annum stipendium suum Marienburgi quotannis sibi numeratur, petit, ut rex ad castellanum Gedanensem, terrarum Prussiae thesaurarium [Ioannem Kostka], mandati litteras dare velit, quo eo tempore citra procrastinationem aliquam eiusmodi stipendium sibi numeret.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 889-890.

N. 5000.

S.l. [24.II.1560].

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

litteras suas, ad regem in negotio sui anni stipendi Marienburgi sibi personae vendi scriptas, mittit et rogat, ut eas regi tempestive reddendas curet (cfr. N. praeced.).

(*Germanice*)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 413-413v.

N. 5001.

S.l., 25.II.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

controversia inter palatinum Marienburgensem [Achatium Czema] et castellatum Gedanensem [Ioannem Kostka], iam fere composita, in suspenso adhuc manente, «propterea quod neutra pars pacta et conventa exsequitur», petit, ut rex ad confirmandam initam animorum coniunctionem episcopum Culmensem [Ioannem Lubodzieski], «tanquam primarium amicabilis illius transactionis caput», submoneat, «ut quae utraque pars approbavit rataque et grata habuit», iubente rege exsequatur.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 892-894.

N. 5002.

S.l., 25.II.1560.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Bielewicz

equum ab illo petitum mitti («ea quidem praestantia, qua prae aliis a stabuli nostri magistro nobis commendatus est, et optamus, ut is petitioni ac votis Generositatis Vestrae respondeat et ad quaevis exercitia bellica idoneus sit»).

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 890-891.

N. 5003.

Albertus dux in Prussia

Petro Paulo Vergerio

oblata tabellarii occasione, eum salutat et hortatur, ut novitates perscribat.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 891-892.

S.l., 25.II.1560.

Petro Paulo Vergerio, 25 Februarii.

Reverende ac Eximie, Amice nobis singulariter dilecte.

Cum tabellionem hunc nostrum Vilnam mitteremus, voluimus illum ad Reverendam Dominationem Vestram aliquid literarum quoque nostrorum [f. 892] ferre. Cumque nobis aliud scribendi argumentum non esset, valetudinem Reverendae Dominationis Vestrae invisendam duximus. Quae si bene se habet, voluptati nobis est. Nos, Deo patri sit gratia, pro aetatis nostrae conditione sic satis recte cum Illustri coniuge¹⁾ et liberis nostris²⁾ valemus. Faxisit Dominus, ut illud et Reverendae Dominationi Vestrae et nobis omnibus sit ex voluntate divina diuturnum.

Ceterum quandoquidem quae istic agantur et quid novi feratur, scire cuperemus, amice Reverendam Dominationem Vestram petimus, ut quantum scire nostra refert, negotiorum quoque (uti minime dubitamus) nostrorum memor, nobis communicare ne gravetur. Factura nobis rem Reverenda Dominatio Vestra gratissimam ac benevolentia nostra per omnem occasionem compensandam. Cupimus eandem Reverendam Paternitatem²⁾ Vestram rectissime valere. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

z.) *sic in ms.*

1) *Anna Maria.*

2) *Anna Sophia, Elisabeth, Albertus Fridericus.*

N. 5004.

Albertus dux in Prussia

magistro Alberto Caprino

S.l., 28.II.1560.

nuntiat se moleste ferre 50 taleros, ei ad iter Italicum assignatos, nondum ei traditos esse; scribit se Bernardo Bolman, civi Toruniensi, mandasse, ut sine mora huiusmodi pecuniam ei perferendam curaret; pro «prognostico libello» ei gratias agit et felix iter in Italianam exoptat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 894-895.

N. 5005.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,

pro bonaе valetudinis precatione gratias agit; nuntiat iucundum sibi fuisse auditu vina a se dono missa reginae placuisse; rogat, ut nova, si quae habeat, crebro scribere velit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 414-414v.

S.l., 2.III.1560.

N. 5006.

S.l., 2.III.1560.

Albertus dux in Prussia

*Bernardo Pohibel, secretario Gabrielis Tarto,
pro binis litteris Vilna missis et communicatis novitatibus gratias agit et
rogat, ut etiam in posterum nova scribat; quod vina reginae missa placue-
rint, gaudet, sed aegre fert illa a solo Kunheim, et non a Gabriele Tarto,
debita reverentia tradita esse; assentit, ut idem Tarto aliquot equos suos
Ragnetam mittat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 415-415v.

N. 5007.

S.l., 6.III.1560.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae
de Lubecensibus et Hamburgensibus navigationem in Moscoviam parantibus
et de periculis regi et Regno Poloniae inde proventuris refert et regem ad
vigilantiam hortatur.*

(*Schedula: de 15 navibus Lubecensibus et totidem Hamburgensibus,
omnis generis munitionibus et commeatu onustis, Narvam ad armandum
Moscum destinatis etc.*).

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 897-903.

Regi Poloniae, 6 Martii.

De navigatione Lubecensi et Hamburgensi in Moschoviam.

Serenissime Rex etc.

Meminit S. Regiae Vestrae Maiestas, quid non multo abhinc elapso tempore S. Regiae Vestrae Maiestati per Egregium Christophorum Jonam, consiliarium meum et iuris utriusque doctorem, de clandestinis quorundam conspirationibus cum Moscho¹⁾, praecipue vero de Lubecensibus indicaverim. Quia vero S. Regia Vestra Maiestas clementer mihi per eundem consiliarium meum mandare dignata est, ut si quid porro de callidis eiusmodi consiliis cognoscerem, ne illud S. Regiam Vestram Maiestatem celarem, itaque latere S. Regiam Vestram Maiestatem nolo, me literis hominum probatae fidei per hosce dies edoctum esse, et quidem secretius, habere Lubecenses et Hamburgenses iamque classem paratam, quae primo veris tempore navigabili sit Wiburgum²⁾ et Nowogardiam³⁾ versus, cum armis, commeatu aliisque rebus, ad Moschi usum [f. 898] necessariis, navigatura. Iactitare autem illos hoc sibi licere ex privilegiis, quae habent. Neque passuros sibi ab aliquo frena, cur minus sic faciant, inici, neque ullius interdictum aut minas se metuere. Ita etiam instructos esse, ut si maxime quis prohibere illos ea navigatione vellet, non inferiores illo viribus futuri sint. Hinc facile colligi potest non Lubecenses tantum, sed omnes fere civitates maritimas clam adhaerere Moscho idque studiose agere, ut Moschus in Livonia dominetur.

Quae res quantum detrimenti S. Regiae Vestrae Maiestati sit allatura, ipsa pro sua prudentia facile perspicit. Quamvis deplorandum est ita

excaecatos esse vilissimi lucri causa christianos homines, ut non erubescant conscientias suas discrimini exponere, sed eum quoque, quem ex professo Christi hostem esse non ignorant, ad exercendam in christianorum res, fortunas et corpora [f. 899] saevitiam adiutum velint. Etsi autem dubium mihi non est S. Regiam Vestram Maiestatem ea, quae per praedictum consiliarium meum fideliter consului et monui, sicut clementer se facturam recepit, iam curasse, volui tamen hoc ipsum hisce denuo repetere. Cumque intelligam Magnificum Dominum Livoniae Magistrum⁴⁾ constituisse horum conatibus occurrere atque naves a portibus Moschi maiorem quo poterit in modum in mari arcere, operae pretium mihi videretur, si S. Regia Vestra Maiestas (siquidem illi malum hoc commune erit) naves aliquot bene instructas primo vere mari committeret, quae advigilent, ne quid ad portus illos transvehatur.

Quod si S. Regia Vestra Maiestas integrum hoc sibi non duxerit esse, puto Gedani haberi posse plerosque, qui sortem experturi classem aliquam piraticam, connivente saltem S. Regia Vestra Maiestate, instruere propriis sumptibus non detrectarent, navesque Lubecensium et aliorum ad instruendum Moschum transituras, [f. 900] tanquam hostiles, vi adorinentur et navigatione prohiberent interciperentque. Verum haec res, sicut est repentini periculi plena, ita in celeritate ad occurrentum consistere videatur. Fideliter itaque consulto, ut ne S. Regia Vestra Maiestas hoc leviter habeat vel procrastinatione differri patiatur. Diligenter autem his invigilandum esse non modo periculi magnitudo monet, sed illud quoque calcar addere deberet, quod generalis in Germania Ordinis Magister⁵⁾ contractum S. Regiae Vestrae Maiestatis, nuperrime cum Livoniensibus initum, apud Imperatoriam Maiestatem solemni protestatione impugnasse deque militaribus copiis adducendis valde sollicitus esse fertur. Praestat itaque in tempore oculatum esse, ne per incuriam aliquid incommodetur. Expedire autem non parum arbitrarer, si S. Regia Maiestas Vestra Serenissimos quoque Daniae et Swetiae Reges⁶⁾ ad prohibendam navigationem praedicatam [f. 901] amanter hortaretur, cum illorum aeque ac S. Regiae Vestrae Maiestatis illud intersit. Verum maturato hic opus est.

Concreditum mihi est cordi esse Serenissimo Suetiae Regi, ut primum intellexerit S. Regiam Vestram Maiestatem severe ad hanc navigationem avertendam propendere, socium illum S. Regiae Vestrae Maiestati fore constantem. Idcirco iterum atque iterum S. Regiae Vestrae Maiestati fideliter suadeo, ut quo maiore cum incommodo S. Regiae Vestrae Maiestatis navigatio ea coniuncta est, tanto studiosius temporiusque illi occurrat, nihilque remorari se hac ex parte patiatur. Clementer enim secum reputet, quod si Moschus, undequaque fere a vicinis hostibus lassitus inermis, ut nunc quidem esse videtur, vim et impetum non sustinet modo, sed propulsando, praedando depopulandoque de die in diem fines terrarum suarum amplificat, quanto formidabilior futurus sit, ubi omnis generis armamentis, ad bellicam [f. 902] expeditionem pertinentibus, commeatu etiam ex tanta classe instructior evaserit.

Quae cum S. Regiae Vestrae Maiestati, uti prudentissimo Regi, notiora sint, quam ut per me, minimum servitorem suum, doceri debeant vel possint, plane confido S. Regiam Vestram Maiestatem nihil eorum praetermissuram esse, quae periculorum magnitudo et temporum deploranda iniquitas exposcere videntur. Si quid et ego S. Regiae Vestrae Maiestati pro meo qualicunque intellectu eam ad rem vel consulendo, vel operam navando obsequii praestare potero, in meo me et fideliem et ad mandata S. Regiae Vestrae Maiestatis obsequentissimum praebeo. Datae.

Cedula.

In obsignatione harum perlatae ad me sunt literae, habere Lubecenses quindecim, totidem et Hamburgenses quoque naves, omnis generis munitionum et commeatu onustas, quas propediem sint [f. 903] littore soluturi, atque iter recta ad armandum Moschum Narvam destinasse. Nihil opportunius nunc foret, quam ut S. Regia Vestra Maiestas cum Reverendissimo Domino Archiepiscopo Rigensi⁷⁾, necnon Magnifico Domino Livoniae Magistro, ad interciendas eas per Rigenses et Revalienses rationes iniret, utque per publicum proclama ad eam navigationem prohibet mandatum edatur interdicaturque edicto publico, ne quis ex Livonia mercium aliquid Lubecam aut Hamburgum exportet, neve Lubecensibus aut Hamburgensis permittatur, ut ipsi istic aliquid negotientur. Idem quoque [per] S. Regiam Vestram Maiestatem Gedanensis et Elbingensis aliisque serio iniungendum esset et publicandum. Quod mearum erit partium, illud factorus sum, ut ne quid S. Regia Vestra Maiestas in me desideret. Datum ut supra.

A[ndreas] M[untzer]

- | | |
|---|--|
| 1) <i>Ioannes IV Basilides, m. dux Moscoviae.</i> | 5) <i>Wolfgangus Schutzbar.</i> |
| 2) <i>hodie Viipuri in Finlandia.</i> | 6) <i>Fridericus II et Gustavus I.</i> |
| 3) <i>Novgorod.</i> | 7) <i>Gulielmus, marchio Brandenburgensis.</i> |
| 4) <i>Gottardus Kettler.</i> | |

N. 5008.

S.l., 6.III.1560.

Albertus dux in Prussia

*Hieronymo Modliszewski, capitaneo Lomzensi,
pro subdita quadam sua nomine Agneta, quea ad bona fratris sui, sine liberis
legitimis demortui, ius se hereditarium habere affirmat, intercedit et petit,
ut cum frater illius praedictus, nomine Martinus Rogala, sub iurisdictione
eius Colnae domicilium habuerit, subditae suae eiusque marito auxilio
esse velit, quo id, quod iure sibi debetur, eo facilius consequatur.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 895-896.

N. 5009.

S.l., 9.III.1560.

*Albertus dux in Prussia
regi Galliae [Francisco II]*

*Michaelem Gum, Christophori ducis Megapolensis, coadiutoris Rigensis, ser-
vitorem, «hominem visendarum regionum cupidum», commendat et
rogat, ut eum numero servitorum suorum cooptare velit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 903-905.

N. 5010.

S.l., 11.III.1560.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,

Martinum ab Hofen, civem Regiomontanum, negotium quoddam cum Simone Hunderthschohn et Georgio Schramm, civibus Vilnensibus, habentem, in quo negotio legitima sententia in iudicio Vilnensi iam lata est, commendat et rogat, ut eum ita iuvare velit, quo latae iam sententiae execucionem citra longiorem dilationem obtineat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 905-906.

N. 5011.

S.l., 13.III.1560.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski]

de Lubecensibus navigationem in Moscoviam parantibus.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 906-908.

Vicecancellario Regni Poloniae. Mutatis mutandis Duci in Olyka.

13 Martii.

De Lubecensibus, qui navigaturi sunt in Muschoviam.

Dubium nobis nullum est meminisse ea Reverendam Paternitatem Vestram, quae ad S. Regiam Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum, nomine nostro per Eximum Christophorum Jonam, I.U. Doctorem, [f. 907] consiliarium nostrum, non ita pridem de Lubecensibus relata sunt et quid consilii eo in negotio capiendum esse censuerimus. Quia vero Lubecenses prolixa ad nos excusatione usi sunt, atque in eam quoque sententiam fortassis cum tabellione hoc S. Regiae Maiestati respondebunt, significandum esse duximus Reverendae Paternitati Vestrae certo ad nos prescribi rem se multo aliter habere, quam ipsi asserunt. Esse enim in apparatu omnia, sicut ad S. Regiam Maiestatem perscrupsimus, multorum documentis confirmatur. Itaque non dubitamus, quin S. Regia Maiestas pro sua prudentia responsura sit Lubecensibus atque ita rebus omnibus invigilatura, sicut expedire atque sua terrarumque suarum referre sapienter intelligit. Quam ad rem etsi Reverendam Paternitatem Vestram pro suo munere hortatricem esse minime dubitamus, voluimus tamen memoriae saltem causa illud ipsum Reverendam Paternitatem Vestram amanter hisce submonere. Factura Reverenda [f. 908] Paternitas Vestra rem Regi et Domino suo utilem et salutarem, nobis vero gratam et benevolentia nostra compensandam. Datae.

Mutatis mutandis ad Nicolaum Radziwill:
Illustris Princeps.

Referri quaedam non ita pridem ad S. Regiam Maiestatem per eximum consiliarium nostrum Christophorum Jonam curavimus de Lubecensibus, simulque pro tenuitate nostri intellectus S. Regiae Maiestati com-

municavimus consilium nostrum, quid ad S. Regiae Maiestatis Suae terrarumque suarum emolumentum spectare nobis videatur. Quae cum Illustrati vestrae non ignota sint, scripsimus paucos ante dies ad S. Regiam Maiestatem Suam, quid moliantur Lubecenses. Ea quoque cum S. Regia Maiestas Illustritatem Vestram clam non sit habitura, noluimus Illustritati Vestrae longa lectione molesti esse. Nunc cum Lubecenses prolixa ad nos excusatione usi sint atque in eam etc. Datum ut supra.

A[ndreas] M[untzer]

N. 5012.

S.l., 13.III.1560.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski] et, mutatis mutandis, Nicolao Trzebuchowski, cubiculi regii praefecto,
exemplum litterarum suarum pro Gulielmo et Georgio Natzimer ad regem
datarum mittit et eosdem Natzimer eorumque causam commendat (cfr. N.
5014).

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 908-910.

n. 5013.

S.l., 13.III.1560.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwill «Nigro» et, mutatis mutandis, R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski]
pro Toruniensibus, ab episcopo Culmensi [Ioanne Lubodzieski] gravatis et
oppressis, se ad regem litteras scripsisse nuntiat (quarum exemplum
adiungit, cfr. N. 5016) et eorum causam commendat.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 910-911.

N. 5014.

S.l., 14.III.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae
pro Gulielmo et Georgio Natzimer, quibus in pacifice possidenda tenuta arcis
Drahim, eis a rege ad vitae tempora concessa et privilegio regio confirmata,
a castellano Posnaniensi, Ioanne Kościelecki, negotium facessitur,
intercedit et petit, ne eos in legitima eiusdem arcis possessione a quocumque
molestari sinat.

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 911-913.

N. 5015.

S.l., 14.III.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Thoma Koss, cive Regiomontano, negotium cum debitore suo, Sigismundo Wolski, R.P. ensifero, habente, intercedit et rogat, ut auctoritatem regiam pro eo interponere velit, quo subdito suo iustitia administretur.

(Latine)

Cfr. EL. XXXI, N. 792.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 913-915.

N. 5016.

S.l., 14.III.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro senatu Toruniensi, ab episcopo Culmensi excommunicato et pro haereticorum receptore et defensore habito, quod concionatores confessionem Augustanam profitentes ab officio amovere et civitate eiicere recusaverit.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 916-919.

Regi Poloniae, 14 Martii.

Pro Thorunensibus

Serenissime Rex etc.

Meminit procul dubio [f. 917] S. Regia Vestra Maiestas, quid mense Ianuario proxime praeterito ad illam in negotio Thorunensi scripsерим. Nimirum quod senatus eius civitatis questus mihi esset se a Reverendo Domino Episcopo Culmensi¹⁾ excommunicatum esse, propterea quod pios concionatores, christianam et puram religionem publice docentes, ad mandatum Reverendae Paternitatis Suae ab officio concionandi amovere et civitate reiicere recusasset. Haberi enim eos concionatores, siquidem Augustanam, ut vocant, confessionem profiterentur, a Reverenda Paternitate Sua pro haereticis, senatum vero ipsum pro haereticorum receptore, defensore et fautore, tametsi senatus is iustis, piis et firmis argumentis docuisset, cur imperata Reverendae Paternitatis Suae exequi non posset. Ac submisse quoque petiisset se contra recessum, in religionis negotio Petrocoviae²⁾ et Warsochoviae³⁾ omnibus Regni ordinibus usque ad universale vel nationale concilium datam, non praegravari. Nihil tamen se profecisse, quin [f. 918] appellationem etiam ad Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Rigensem⁴⁾, tanquam Metropolitanum episcopatus Culensis, ab eodem Domino Episcopo Culmensi senatui praedicto prorsus denegatum fuisse.

Quas quidem Thorunensium querimonias non modo officiosissime intercedendo ad S. Regiam Maiestatem Vestram tum quidem detuli, verum illud quoque S. Regiae Vestrae Maiestati prudenter considerandum adieci, quantum referat periculosis hisce temporibus animos fidelium subditorum non laedi seu offendi, praecipue vero in fidei et conscientiarum negotiis, in quibus sibi homines eam libertatem competere existimant, ut aegre sibi

frena iniici patientur, cum quivis sua et non aliena fide in futura vita victurus sit. Quia vero Thorunenses iterum mihi supplices facti sunt, seque adhuc a Domino Episcopo Culmensi praegravari queruntur, duxi eo nomine officiosissime S. Regiam Vestram Maiestatem denuo requirendam esse. Maiorem itaque in modum [f. 919] illam oro, dignetur clementer Domino Episcopo Culmensi mandare, ut excommunicationis executionem vel prorsus tollat, vel in tempus suspendat, nec Thorunenses molestet, sed pios concionatores docere eam doctrinam permittat, quam ipse Christus de vitae et beatitudinis aeternae via praescripsit. Praecipue cum in ceremoniis et ritibus ecclesiasticis praedictae civitatis nihil immutatum sit, nec mutari senatus contendat. Erit hoc S. Regiae Vestrae Maiestati, uti christianissimo Regi, laudabile, Deo, cuius honor et gloria agitur, acceptum et gratum, Reipublicae autem Thorunensi ad conservandam tranquillitatem salutare. Ego vero erga S. Regiam Vestram Maiestatem quibus potero officiis demererri hoc ipsum studebo. Datae.

A[ndraes] M[untzer]

- 1) *Ioannes Lubodzieski.*
- 2) *in Comitiis 22.IV – 15.VI.1555 celebratis.*
- 3) *in Comitiis 6.XII.1556 – 14.I.1557 celebratis.*
- 4) *Gulielmus, marchio Brandenburgensis.*

N. 5017.

S.l., 14.III.1560.

Albertus dux in Prussia
Catharinae reginae Poloniae
pro Thoma Koss, subdito suo, negotium de pecunia sibi debita cum Sigismundo Wolski, R.P. ensifero, habente, intercedit, et petit, ut auctoritatem reginalem pro eo interponat (cfr. N. 5015.).
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 416-416v.

N. 5018.

S.l., 14.III.1560.

Albertus dux in Prussia
R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski] et, mutatis mutandis, Petro Myszkowski, secretario regio,
negotium Thome Koss, civis Regiomontani, quod cum debitore suo, Sigismundo Wolski, R.P. ensifero, habet, commendat.
(Latine)
Cfr. El. XLI, N. 1761.
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 913-914.

S.l., 16.III.1560.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,

*de «non exiguis fundamentis constituendae necessitudinis arctae inter S.
Regiam Maiestatem et quosdam Germaniae Principes iactis» gaudet et
doceri cupit, quid ipse ad eam rem confirmandam facere et conferre pos-
sit.*

(Schedula: de studio eius in negotiis suis apud regem promotis).

Ostrpr. Fol., vol. 55, ff. 922-925.

Duci in Olika, 16 Martii.

De negotiis, quae Vergerio commissa fuere.

Accepimus Illustritatis Vestrae literas, cum Reverendo Domino Verge-
rio nobis missas. Quae cum in exordio singularem quandam gratiarum
actionem pro qualicunque nostro in S. Regiam Maiestatem officiolo conti-
nerent, non potuere nobis non esse gratissimae. Licet gratiarum actione
tanta ad nos opus non fuisse, cum quod ad S. Regiae Maiestatis Suae ac
totius incliti Poloniae Regni ceterarumque terrarum, Maiestati Suae
subiectarum, emolumenta et commoda provehenda semper propensi fu-
imus, tum etiam quia hoc obsequii genus Maiestati Suae Regiae debere nos
agnoscimus.

Inter cetera nobis iucundissimum fuit, tam ex literis Illustritatis
Vestrae, quam ex ipsius Domini Vergerii relatione cognoscere, quod non
exigua fundamenta constituendae necessitudinis arctae inter S. Regiam
Maiestatem et quosdam Germaniae Principes iacta sint. Dominus Deus, a
quo [f. 923] omne bonum promanat, haec ipsa exordia ad nominis sui glo-
riam et aedificationem Ecclesiae christiana fausta et ex omni parte felicis-
sima esse velit faxitque, ut bono et laeto fine terminentur. In quo quidem
incepto promovendo et iuvando, uti de opera, studio, sollicitudine, cura et
diligentia Illustritatis Vestrae dubium nobis nullum est (siquidem certi
sumus Illustritatem Vestram pio ad amplificandum Christi Regnum zelo
ferri), ita in nobis, quantum pro tenuitate nostra possumus, nihil eius desi-
derari passuri sumus, quod hanc ad rem quoquo modo expedire intellexe-
rimus. Fatemur sane parum nos praestare posse et intellectum fortassis
nostrum negotiis illis sublimioribus longe inferiorem esse. Itaque ab Illu-
stritate Vestra doceri volumus petimusque, quid facto opus sit in iis, quae
Illustritas Vestra nos non satis assequi et comprehendere putaverit. Non
modo enim S. Regiae Maiestatis et Illustritatis quoque Vestrae iudicio
exquisito nos submittimus, sed ad [f. 924] S. Regiae Maiestatis Suae obse-
quia et Illustritatis Vestrae fraternalm informationem libenter nos accom-
modabimus atque ad extrema usque vitae nostrae tempora ad contestan-
dam S. Regiae Maiestati fidem et subiectionem nostram, Illustritati autem
Vestrae ad comprobandum amicum et fraternalum animum nostrum para-
tissimi, assistente Deo, erimus. Aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi
Illustritatem Vestram diu incolumem habeat, amanter petimus. Idem de
nobis sibi Illustritas Vestra vicissim certo polliceatur. Datae.

Cedula

Cognovimus praeterea ex Reverendo Domino Vergerio, quo studio Illu-
stritas Vestra causam Prutenicam apud S. Regiam Maiestatem iuverit pro-

moveritque. Sic sane, ut S. Regia Maiestas, consilio et opera Illustritatis Vestrae permota et adducta, clementer receperit ad componendam eam et in compensationem, sicut novit Illustritas Vestra, de suo aliud contribuere eaque de re ad consiliarios se referre velle, negotiumque illud curae sibi clementissime habituram. Quia [f. 925] vero Illustritas Vestra in primis commodo et utilitati S. Regiae Maiestatis (siquidem negotium hoc S. Regiae Maiestati Suae non commune tantum, sed proprium quasi esse videtur) recte in hoc consultum voluit, tamen nos quoque gratissimo amplectimur pectore eam animi Illustritatis Vestrae propensionem, qua nostras quoque partes procurandas suscepit, petimusque, ut clementissimam hanc S. Regiae Maiestatis inclinationem sua auctoritate magis magisque confirmare et stabilire satagat. Datur operam, ut per omnem occasionem id ipsum amanter et fraterne compensemus. Datum ut supra.

A[ndreas] M[untzer]

N. 5020.

S.l., 16.III.1560.

Anna Maria ducissa in Prussia
«ducissae in Olyka» [Elisabeth Szydłowiecka, uxori Nicolai Radziwiłł «Nigri»]
amicitiam et observantiam declarat; pro strophiolis sibi missis gratias agit
(quae «nobis sunt gratiiora, quod ab Illustritate Vestra missa fuere,
commendatoria etiam et acceptiora, quod ex laboribus filiarum Illustritatis Vestrae ad nos profecta»).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 919-921.

N. 5021.

S.l., 16.III.1560.

Albertus dux in Prussia
Nicolao Strobitz (Strubitz), secretario regio,
pro Thoma Koss, negotium cum debitore suo, Sigismundo Wolski, habente
(cfr. N. 5015.).
(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 417-417v.

N. 5022.

S.l., 16.III.1560.

Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim
diligentiam eius in impetrandis litteris mandati ad terrarum Prussiae thesau-
rarium [Ioannem Kostkā] pro annuo stipendio Marienburgi sibi nume-
rando laudat; 3 cornua alcium («elendsgeweihe») et 2 canes Anglicos

mittit («darzu auch das bekentnuss, wie es in unser cantzley gefunden») *et rogat, ut se apud reginam de longiore mora excuset; expeditionem nuntiorum Livoniensium* («der eyfflendischen secretarien») *se exspectare nuntiat; de negotiis suis a regina Catharina fratri suo, archiduci Ferdinandu, commendatis se ex litteris reginae iam cognovisse scribit* (cfr. El. XXXI, N. 789); *petitioni eius, ut scripta Vergerii in Ducatu Prussiae typis imprimi possint, se satisfacere non posse respondet, cum hoc regi displateat; ita etiam ipsi Vergerio se esse responsurum; eiusdem Vergerii studium et diligentiam in promovendis rebus suis probat; pro missis novis gratias agit.*

(*Schedula: de impedimentis in missione cornuum et canum Anglicorum, iam in litteris annuntiata; petit, ne «das bekentnuss des berwolfs», quod regi mittit, divulgetur.*)

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 417r-420.

N. 5023.

S.l., 21.III.1560.

Albertus dux in Prussia

reginae Angliae [Elisabeth]

pro subdito suo Martino ab Hofen, cive Regiomontano, qui ab Anglo quodam capitaneo, Ringen Schacht nominato, «nave cum mercibus intercepta, omnibus suis bonis praeter ullum suum meritum indignissime exutus spoliatusque est ac duro insuper carcere maceratus», intercedit et petit, ut subdito suo iustitiam administret.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 925-927.

N. 5024.

S.l., 21.III.1560.

Albertus dux in Prussia

duci Suffolciae

pro Martino ab Hofen, cive Regiomontano (cfr. N. praeced.).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 927-929.

N. 5025.

S.l., 25.III.1560.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,

nuntiat eum nulla ad se commendatione indigere, cum se eum «quasi in ipsa cordis sui capsula... gerere ac fovere» scribit; de Alexandro a Suchten, medico, eum et regem praemonet, qui talem medicinam profitetur, «quae non modo in sacris prohibita sit, sed omnium medicorum... scriptis ex diametro pugnet» etc.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 929-934.

Duci in Olyka, 25 Martii.

De Alexandro a Suchtenn¹⁾, medico, ut et ipse et S. Regia Maiestas eius trinitatis medicinalis constitutionem atque alia deliria diabolicasque praestigias ac imposturas caveat.

Cum Reverendus et Eximus Dominus Petrus Paulus Vergerius Vilna ad nos rediisset, inter cetera, quae honorificantissime de Illustritate Vestra nobis retulit et illud adiecit, quanti nos ab Illustritate Vestra fieremus, quamque illa nos faceret plurimi, ac cupivisse maioremque in modum petuisse Illustritatem Vestram, ut per Reverendam Dominationem Suam de meliori nota nobis commendaretur, sic sane, ut Illustrati Vestrae id tribueremus, quod intimo, sincero et candido [f. 930] animo solet tribui, qui fido erga nos animo ferretur nosque sibi haberet charissimos. Etsi autem multis antea argumentis, neque obscuris testimonis Illustritatis in nos Vestrae summam benevolentiam ac praecclare de nobis merendi studium abinde perspeximus, tamen grata eorum omnium nobis fuit repetitio, per eundem Dominum Vergerium egregie sane et cum Illustritatis Vestrae dignitate facta. Quam uti ex abundantia amoris Illustritatis in nos Vestrae plus quam fraternali profectam fuisse scimus, ita commendatione sui ad nos nulla opus fuisse, cum quod Illustritatem Vestram nostri amantissimam non modo redamamus, sed in ipsa quasi cordis nostri capsula gessimus semper et fovimus, gerimusque ac fovemus, nulla ut nobis de Illustritate Vestra oblivio obrepere, nulla amoris fraternali intermissione esse possit, tum quod Illustritatis Vestrae erga nos studium verae et sinceroris amicitiae consociationem ita devinxerit tamque alte radices in nobis egerit, ut rumpi vel dissolvi nequeat, ut taceamus nova [f. 931] illam commendatione indigere, vel superaddi posse aliquid. Idcirco pro veteri illa atque vere fraternali inter nos amicitia peramanter Illustritatem Vestram petimus, ut sibi de nobis nihil ab his alieni polliceatur, sed versari illam quasi in conspectu nostro semper atque fraterne amari unice credat. Neque passuros esse nos Illustritatem Vestram in ipso etiam vitae nostrae extremo halitu animo nostro elabi vel avelli. Eo enim et Illustritatem Vestram affectu in nos propendere et amplissimum antea illius de nobis bene merendi studium et nunc Reverendi Domini Vergerii sermo hoc ipsum egregie confirmavit.

Intelleximus praeterea et ex multorum hominum sermonibus et nunc quoque ex eodem Reverendo Domino Vergerio, vocatum esse Vilnam medicum quandam Alexandrum Suchtenium¹⁾, ut is S. Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi, salutis curam agat. Nos cum iureirando commodis S. Regiae Maiestatis Suae invigilare et nocentia quaevis pro intellectus nostri tenuitate [f. 932] avertere teneamur, duximus pro fide nostra aliquid praemonendum esse de medico praedicto. Profitetur autem ille talem medicinalam, quae non modo in sacris prohibita sit, sed omnium medicorum, tam vetustissimorum, quam recentium scriptis ex diametro pugnet, Hippocratis et Galeni aliorumque, ac phisices fundamenta tot saeculorum autoritate comprobata pro imposturis habeat et suum, ut verum dicamus, naturae venenum, deliram ac immaginativam quandam trinitatis medicinalis constitutionem super omnia evehat. Is cum et nobis ante aliquot menses operam suam obtulisset fecissetque artis sua cum Mercurio sublimato (hoc enim medicinae illius arcanum, si non diabolicum, quoque est) experimenta in urbibus nostris Regiomontanis, ita ut omnes repente sine aliqua pharmacorum impensa vel diuturno mortis cruciatu (magnum scilicet beneficium) expirarent. Non videbatur is nostrae complexioni neque humano corpori convenientia medicamenta exhibiturus. Itaque cum honorario a nobis dimissus [f. 933] est.

Hunc ne saluti Regis et Domini nostri atque illi corpori, quod nobis in his terris longe est charissimum, cum vitae discrimine curando adhiberi permitteremus, absit a nobis. Idcirco cum Illustritatem Vestram non minori cura S. Regiae Maiestatis, pro fidelis ministri officio, atque nos tangi sciamus, obtestamur Illustritatem Vestram, ut manibus pedibusque dehortetur, dissuadeat et autoritatem suam quoquo modo poterit interponat, ne sublimatus iste medicus, inconsultis praesertim aliis, ad curandam S. Regiam Maiestatem admittatur recipiaturque. Ipsa quoque Illustritas Vestra sibi ab eo caveat, pro fraterno amore obsecramus. Quantum enim Illustritatis Vestrae et nostra omniumque S. Regiae Maiestatis fidelium ministrorum intersit, Regis et Domini nostri non valetudinem modo, sed vitam ipsam longaevam adhuc superesse, nemo est qui non videat, qui non id ipsum a Domino Deo assiduis orationibus suis flagitet expetatque. Cumque pro salute S. Regiae Maiestatis Suae omnes ex fide data non modo fortunas et facultates, sed ipsam etiam vitam debeamus, quanto plus fideliter permonere et [f. 934] consulere de iis, quae nocitura intelligimus, tenemur. Et quia S. Regiae Maiestati hac in re fidem nostram, Illustritati autem Vestrae, cuius valetudinem ac incolumentem non inferiorem nobis ipsis habemus, fraternali amorem nostrum hac submissione nostra testatum voluimus, dubium nobis nullum est Illustritatem quoque Vestram id, quod suarum esse partium prudenter intelligit, procuraturam esse. Factura Illustritas Vestra rem pernecessariam, salutarem et se dignam, nobis vero tam gratam, ut quam gratissimam. Petimus autem, ut Illustritas Vestra haec secretius a nobis sibi concredita habeat. Quod superest, Illustritatem Vestram rectissime valere exoptamus, nosque pristino amori illius amice et fraterne commendamus. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *nepos ex sorore Alexandri Sculteti, canonici
Varmiensis.*

N. 5026.

S.l., 25.III.1560.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

litteras eius, 12.III. Vilnae datas, se accepisse nuntiat et contentum esse, quod litterae ducum Pomeraniae («das pomerische schreiben») non ab eo, Kunheim, sed a palatino Marienburgensi [Achatio Czema] regi traditas esse; pro novis de archiepiscopo Gnesnensi [Ioanne Przerembskil] et rebus Livonicis sibi communicatis gratias agit; rogat, ut crebro scribat et nova mittat; «das bekentnuss des berwolfs» eum iam accepisse sperat; canes Anglicos et cornua alcium brevi mittere pollicetur; stipendum ei debitum («das gnadengelt») mox post redditum burggravii sui ei numeratum iri promitti.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 420-421.

Albertus dux in Prussia

*Sebastiano Fauser (Pfauser), concionatori in aula imperiali,
de afflita eius sorte, de qua ex litteris eius a Petro Paulo Vergerio secreto sibi
communicatis se cognovisse nuntiat, ei condolet et sperat eum, etiam
nullo submonitore, «contra omnes Sathanae insultus» infracto futurum
esse animo.*

Ostpr. Fol. vol. 55, ff. 934-937.

Sebastiano Phausero¹⁾, 27 Martii.

Condolet adversam valetudinem.

Venerande atque Doctissime, nobis sincere dilekte.

Cum Reverendus ac Eximius Dominus Petrus Paulus [f. 935] Vergerius, nobis sincere dilectus, ex Lituania ad nos rediisset, secreto nobis communicavit literas Venerandae Dominationis Vestrae. Ex quibus cum afflictam Dominationis Vestrae sortem intelligeremus, sane pro ea, quae inter nos est religionis eiusdem societas, et pro pietate christiana nostraque in Venerandam Dominationem Vestram clementia, non potuimus illi non toto pectore condolere, resque illius tristes nobis communes quasi ducere. Quia vero haec actas nihil novi parturire videtur in eo, quod membra verae et christiana Ecclesiae afflictionibus et cruci subiiciuntur et variis furentis diaboli minis et incursionibus exagitantur, non dubitamus Venerandam Dominationem Vestram Dei spiritu ita instructam esse, ut ad patientiam christianam non modo doctore vel submonitore aliquo minime indigeat, sed infracto possit esse animo contra omnes Sathanae insultus. Confidet autem Veneranda Dominatio Vestra in eo, qui dicit: Ero vobiscum usque ad consummationem saeculi, ego vos portabo etc. Vult eiusmodi afflictiones esse exercitia piorum, vult Ecclesiam suam cruci subiectam esse, [f. 936] et tamen deleri omnino non permittet. Conservat enim illam et defendit mirabilibus modis, et mirificat Dominus sanctum suum. Tametsi interdum dormitat et patitur naviculam Petri procellis ac ventorum turbine in tempus varie iactari et submersioni proximam esse, tamen a piis tandem somno excitus succurrit periclitantibus et opem fert.

Haec cum Venerandae Dominationi Vestrae notiora sint, quam ut doceri illa a nobis vel possit vel debeat, nullum nobis est dubium Venerandam Dominationem Vestram cor divinitus ita confirmatum habere, ut afflictiones, quales quales etiam sint, forti pectore adiuvante Deo sit tolleratura, neque se ab agnita veritate deterrei passura. De nobis sibi Veneranda Dominatio Vestra omnia amici et christiani Principis studia, favorem et clementiam certo pollicearunt bonoque sit animo. Nos enim et ad sublevandam Venerandam Dominationem Vestram et ad commoda illius provehenda, rebusque eius omnibus pro pietate christiana et amore in eam singulare nostro iuvandis, quoad rationes nostrae ferent, nihil in nobis [f. 937] desiderari sumus permisso. Cum Domino Vergerio egissemus, ut Veneranda Dominatio Vestra, si ita casus ferret, hospitio ab illo exciperetur, sed ultro ad id paratissimum esse animadvertisimus. Aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi Venerandam Dominationem Vestram spiritu sancto suo regat, gubernet et corroboret, resque illius afflictas in pristinum vel meliorem statum propediem reducat ac diu valentem eam conservet. Petimusque, ut Veneranda Dominatio Vestra Deum pro Serenissimo Rege

suo²⁾ oret, ut in vera fide et religione a Domino confirmatus diu nobis et Ecclesiae christiana superstes sit et fortet in Christo militiam militet. Deinde et nostri quoque Veneranda Dominatio Vestra in orationibus suis memor esse velit. Datur operam, ut clementia illud nostra compensemus. Iterum Venerandam Dominationem Vestram valere optamus. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

- 1) *concionator in aula imperiali, «novam religionem» amplexus, postea Vienna pulsus.*
- 2) *Maximilianus, rex Bohemiae.*

N. 5028.

S.l., 28.III.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

quomodo Lubecensium in Moscoviam navigatio impediri vel intercipi possit.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 938-941.

Regi Poloniae, 28 Martii

Consilium de impedienda aut intercienda Lubecensium in Muschoviam navigatione etc.

Serenissime Rex etc.

Quae S. Regia Vestra Maiestas suis ad me literis de civitatum maritimarum consiliis mihi respondere dignata est, probe intellexi. Ac primo quidem, quod S. Regia Vestra Maiestas qualemcumque meam diligentiam in detegendis hominum perniciosis conatibus laudat, facit hoc pro sua in me clementia. Ac cuperem in rebus multo maioribus fidem et observantiam S. Regiae Vestrae Maiestati meam reddere contestatam. Debere enim me hoc pro commodo et emolumento S. Regiae Vestrae Maiestatis reverenter agnosco. Probari quoque S. Regiae Vestrae Maiestati sententiam meam, quanam ratione ea navigatio prohiberi possit, pergratum mihi est.

Quod vero S. Regia Vestra Maiestas Gedanenses, qui propriis sumptibus provinciam prohibenda navigationis illius suscipere vellent, per me confirmari cupit, facerem equidem perlubens imperata S. Regiae Vestrae Maiestatis, sed facile S. Regia Vestra Maiestas iudicare potest illos meo dicto non audientes fore, neque ita clam haberri posse navium eiusmodi instruendarum apparatus. Accedit et illud eos ipsos, qui se hoc [f. 939] ausuros recipient, non sine literis S. Regiae Vestrae Maiestatis testimonialibus mari se commissuros esse, ne pro piratis aut praedonibus habeantur et periculum aliquod incurvant. Itaque si S. Regia Vestra Maiestas et sibi et illis, quos in patrocinium recepit, adeoque toti Christiano Orbi recte et bene consultum voluerit, operaे pretium erit, ut in literis, quas se ad Gedanenses daturam recipit, scribat velle S. Regiam Vestram Maiestatem illis, qui fortunam experturi classemque suis impensis instructuri essent, literas passuum (ut vocant) dare, ut omnes intelligent, quo consilio et in quem usum suas illi naves mari commisissent. Nemo enim temere, sine aliquo patrocinante domino, hanc rem aggredietur. Idcirco ante omnia hoc S. Regiae Vestrae Maiestati praemittendum esse videtur.

Laudo autem S. Regiae Vestrae Maiestatis prudentiam, quod benevolentia prius omnia quam armis tentanda esse existimet, sed quia durae cervicis homines sunt isti, qui et opes et privilegia iactitant atque, ut ego [f.

940] accepi, in proposito suo frena sibi iniici minime passuri sunt, non puto lenitatem locum apud illos habituram esse. Itaque severitatem cum mansuetudine S. Regia Vestra Maiestas coniungat, ut si monitis S. Regiae Vestrae Maiestatis benignis non obtemperaverint, illud confessim S. Regia Vestra Maiestas agere possit, quod ex dignitate et pro iure protectorio illam decebit, ne si nimium lenitati indulserit, se terrasque suas et quos in tutelam suam recepit, maiori periculo exposuisse videatur et sero ingruenti vel accepto iam graviori damno occurrere labore.

Quod idem quoque S. Regia Vestra Maiestas ad Serenissimos Daniae et Suetiae Reges¹⁾ perscripsit, deditque ad Reverendissimum Archiepiscopum Rigensem²⁾ et Magnificum Dominum Livoniae Magistrum³⁾ internuntio suo hoc ipsum in mandatis, utile esse iudico, neque unas sufficere eam ad rem literas, sed crebra submonitione opus esse. Quod pro periculi magnitudine facturam esse S. Regiam Vestram Maiestatem et diligenter his omnibus pro regia sua prudentia in tempore invigilaturam dubium mihi nullum est. [f. 941] Erit hoc non tam illis, qui se in clientelam S. Regiae Vestrae Maiestatis contulerunt, sed ipsis quoque S. Regiae Vestrae Maiestatis terris salutare, apud omnes vero christianos Reges et Principes illi honorificum. Atque haec S. Regiae Vestrae Maiestati pro tenuitate intellectus nostri et fide mea brevibus respondenda esse duxi. Quam feliciter valere exopto. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Fridericus II et Gustavus I.*

2) *Gulielmus, marchio Brandenburgensis.*

3) *Gottardus Kettler.*

N. 5029.

S.l., 28.III.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

ad priores hac in re litteras suas nullo responso accepto, iterum petit, ut litteras mandati ad castellanum Gedanensem et terrarum Prussiae thesaurarium [Ioannem Kostka] dare velit pro annuo stipendio Marienburgi sibi numerando.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 941-942.

N. 5030.

S.l., 28.III.1560.

Albertus dux in Prussia

palatino Moldaviae [Alexandro]

rogat, ut a rege Poloniae litteras passuum impetret, quarum vigore instrumenta quaedam, de quibus cum nuntio eius, Michaele Rohoziński se collocutum esse scribit, libere et citra aliquod impedimentum per universum Poloniae Regnum via usitata in Ducatum usque suum evehere liceat (cfr. N. 4923.).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 942-942.

N. 5031.

S.l., 28.III.1560.

*Albertus dux in Prussia
Ioanni Dulski, aulico regio,
nuntiat se litteras eius accepisse et putat pro benevolentia ei exhibita tantam
gratiarum actionem supervacaneam fuisse; rogat, ut litteras mandati ad
terrarum Prussiae thesaurarium [Ioannem Kostkaj] a rege impetrare stu-
deat, quo annum suum stipendium sine mora Marienburgi sibi numere-
tur.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 421v-422v.

N. 5032.

S.l., 28.III.1560.

*Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim
iterum rogat, ut litteras mandati ad terrarum Prussiae thesaurarium [Ioannem
Kostkaj] pro annuo stipendio suo Marienburgi numerando a rege impe-
trare conetur; petit etiam, ut iterum regem admoneat, ne opera medici
cuiusdam [Alexandri a Suchten, cfr. N. 5025] utatur, vel saltem ut non
solum illius, sed aliorum quoque medicorum consilia sequatur; de discor-
dia inter novum Ordinis Livoniensis magistrum [Gottardum Kettler] et
eius praedecessorem [Gulielmum a Fürstenberg] dolet.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 425v-427.

N. 5033.

S.l., s.d. [III.1560].

*Albertus dux in Prussia
Sigismondo Augusto regi Poloniae
rogat, ut archiepiscopo Gnesnensi, regio ad imperatorem legato, iniungat, quo
negotium investiturae feudi Franconici apud imperatorem sollicitet et
urgeat; petit praeterea, ut rex viam tandem aliquam inveniat, ut decretum
imperialis banni in se latum abrogetur; rogat denique, ut pro confirma-
tione Christophori ducis Megapolensis, coadiutoris Rigensis, litteras ab
imperatore impetraret.*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 953-957.

Regi Poloniae.

Serenissime Rex etc.

Quandoquidem S. Regia Vestra Maiestas antehac pro sua singulari in
me clementia apud S. Imperatoriam Maiestatem¹⁾ [f. 954] pro me interce-
dere dignata est, ut quae ex nepotis mei, Marchionis Alberti, morte ad me

iure hereditario devoluta est provincia, eius investitura clementer mihi ab Imperatoria Maiestate Sua concederetur, maximas eo nomine S. Regiae Vestrae Maiestati gratias ago daboque operam, ut quovis obsequio id ipsum compensem. Ac intellexi sane S. Regiae Vestrae Maiestatis commendationem eo in negotio, licet in suspenso adhuc haereat, plurimum mihi profuisse animumque S. Imperatoriae Maiestatis Suae a precibus meis non usque adeo alienum esse, ut omnino optatum tandem responsum sperem. Quia vero, ut hoc confiat, nunc S. Regia Vestra Maiestas non minus quam antea mihi magno esse adjumento potest, maiorem quo possum in modum peto, dignetur per literas Reverendissimo Archiepiscopo Gnesnensi¹⁾, S. Regiae Vestrae Maiestatis legato, mandare, ut Paternitas Sua negotium hoc sollicitet et urgeat ac S. Imperatoriae Maiestati commendet, ut nunc tandem S. Imperatoria Maiestas Sua me feudo illo, ab agnitorum meorum devolutione ad [f. 955] me delato, ornare me et investire velit. Quod intercedente et procurante S. Regia Vestra Maiestate non difficulter me obtenturum esse plane confido.

Ad hoc meminit S. Regia Vestra Maiestas aliquoties me submisso petisse, ut S. Regia Vestra Maiestas diuturni gravaminis mei, quod sub banno imperiali cum subditis meis ratione feudi Prussici magna cum molestia fero, rationem clementissimam haberet atque viam tandem aliquam inveniret, qua me onere hoc levaret, praesertim cum non mea aliqua culpa proscriptionis decretum in me sit latum, sed quod divi parentis S. Regiae Vestrae Maiestatis inhibitio causam ei rei praebuerit. Quae ut magno mihi in plurimis detimento fuit, ita me ad impedienda Ordinis Theutonici contra has terras singulis fere annis agitata consilia non parvis sumptibus et impensis oneravit, ut haerere in ista afflictione diutius, praecipue vero in hac mea senecta, valde mihi grave sit. Quia [f. 956] vero S. Regia Vestra Maiestas per Dominum Vergerium hoc nomine spem mihi liberalissimam facere dignata est, supplex iterum atque iterum S. Regiam Vestram Maiestatem oro, ut rationem aliquam eliberandi mei ineat. Quam ad rem dextre conficiendam cum prudentissimis Senatoribus suis facile modum aliquem inveniet. Eritque ad hoc authoritas S. Imperatoriae Maiestatis propter arciam cum Maiestate Vestra necessitudinem maiori nunc quam olim opportuntati et minori difficultati.

Potremo enixe quoque, sicut et antea petii, S. Regiam Vestram Maiestatem oro, ut pro Reverendissimi et Illustris Domini Christophori, Duci Megapolensis et Coadiutoris archiepiscopatus Rigensis, confirmatione literas ab Imperatoria Maiestate exorare benigne et clementer operam navet. Promisisse enim, si recte memini, vel certe non difficilem ad hoc et Imperatoriam Maiestatem fore cognovi, ubi authoritas et amica petitio S. Regiae Vestrae Maiestatis accesserit. Factura S. Regia Vestra Maiestas rem omnibus vitae meae [f. 957] diebus studio, fide, integritate ac obsequiorum promptitudine officiosissime demerendam, ipsum vero Dominum Coadiutorem praedictum et inclitam familiam Ducum Megapolensium sibi devinctissimam redditura est. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem protectioni divinae, me vero et mea omnia clementiae et favori S. Regiae Vestrae Maiestatis deditissime commando. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Ferdinandus I.*

2) *Ioannes Przerembski.*

S.l., 30.III.1560.

Albertus dux in Prussia

reginae Angliae [Elisabeth I]

de zelo illius in propaganda in Regno suo «puriore Evangelii doctrina» gratulatur eamque hortatur, ut «unum doctrinae genus sacris literis fundatum», id est confessionem Augustanam, quae non solum in Germania, sed etiam in Polonia et Lithuania radices penitus immisit, amplectatur.

Ostrpr. Fol., vol. 55, ff. 943-946.

Reginae Angliae, 30 Martii.

Hortatur ad amplectendam Augustanam confessionem.

Serenissima Regina etc.

Cum hic apud nos esset Reverendus Dominus Petrus Paulus Vergerius, olim Episcopus Iustinopolitanus, exul, nobis sincere dilectus, inter cetera honorificantissime Reginalem Vestram Dignitatem depraedicavit, cum quod pio illo zelo ad propagandam puriorem Evangelii doctrinam [f. 944] et ad aedificandam in Regno Anglico Christi Ecclesiam propensissimam esse dixit, tum quod ab ea, quam Augustanam appellant, confessione minime S. Reginalem Dignitatem Vestram abhorrire asserebat. Is cum discessurus iterum a nobis esset, facere non potuimus, quin pro observantia in S. Reginalem Vestram Dignitatem singulari nostra has illi literas committeremus. Quibus ante omnia gratulamur S. Regiae Vestrae Dignitatis pietati, quod usque adeo ad amplificandum Christi Regnum propendet. Faxit Deus, ut crescens in Regno illius Ecclesia multis aliis vicinioribus Regnis et provinciis ad amplectendam veritatem evangelicam viam sternat et, multis iam per Dei gratiam illuminatis, ad propagandam Dei gloriam incitet et calcaria quasi addat.

Quandoquidem autem omnes eos, qui christianos se profitentur, unum doctrinae genus sacris literis fundatum observare et in eo, quod nobis ex sinu aeterni patris doctor noster Christus attulit, consentientes esse par est, nullum nobis est dubium, quin S. Reginalis Vestra Dignitas per omnia ad eum quoque [f. 945] consensum accessura sit, quem non in Germania tantum Augustanae confessionis status profitentur, verum etiam per singulare Dei beneficium inclytum Poloniae Regnum, necnon Magnus Lituaniae Ducatus et finitimae provinciae iam amplexi sunt. Est enim corpus illius doctrinae sacris literis convenientissimum et per omnia conforme, multis quidem adversariorum impetionibus impugnatum, expugnatum autem (propterea quod certis et firmissimis nititur fundamentis) nunquam. Itaque pro summa illa in S. Reginalem Vestram Dignitatem observantia nostra, et pari cum illa ad salutem aeternam ducti studio, amice hortandam esse duximus. Dignetur S. Reginalis Vestra Dignitas confessioni illi, quam tot Reges et Principes uti bene examinatam veramque et probam ac per omnia sacris literis consentientem approbarunt, calculum suum, sicut ultro iam cupere illam intelligimus, addere. Ea enim ratione non modo paratum et tranquillum Regnum habitura est, [f. 946] totiusque Germaniae et multorum animos sibi devinciet, verum etiam opus Deo factura gratissimum. Qui cum inquietat se suis usque ad consummationem saeculi affuturum, non dubitet S. Regia Vestra Dignitas, quin ille ipse, siquidem eius res agitur, benedicturus sit operae S. Regiae Dignitatis Vestrae. Estque S. Regia Vestra Dignitas bene positura omnia, quae in aedificandam Christi Eccle-

siam collocaverit. Mercedem enim in caelis pro labore hoc ad gloriam filii Dei suscepto egregiam habitura. Aeternus Pater S. Reginalem Vestram Dignitatem spiritu sancto suo regat et gubernet, et quod facit, nutricem Ecclesiae suae salutarem agat messemque Christi amplificet et numerosam reddat. Quod si et nos pro qualicunque tenuitate nostra pios S. Reginalis Vestrae Dignitatis conatus iuvare possemus, nihil sane pro pietate christiana desiderari in nobis pateremur, sumusque futuri ad hoc promptissimi. Atque haec ad S. Reginalem Dignitatem Vestram, hac nobis occasione ita commode oblata, scribenda esse duximus. Quam iterum atque iterum rectissime valere nobisque favorabilem esse percupimus. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

N. 5035.

S.l., 30.III.1560.

*Albertus dux in Prussia
Gulielmo Barlow, episcopo Cicestrensi,
de dignitate episcopali ei restituta gratulatur et ad propagandam in Regno
Angliae confessionem Augustanam eum exhortatur.
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 947-950.*

Gulielmo Barlo, Episcopo Cicestrensi, 30 Martii.

Gratulatur illi, quod dignitati restitutus sit, et ut ad propagandam acceptandamque confessionem Augustanam in Regno Anglico autor et hortator sit etc., rogat.

Reverende, Amice nobis sincere dilecte.

Cum perlatum ad nos esset Reverendam Dominationem Vestram per Dei gratiam non modo a Serenissima Angliae Regina¹⁾ magni fieri, sed pristinae quoque dignitati restitutam esse, facere non potuimus, quin pro amore in Reverendam Dominationem Vestram nostro ei amanter gratularemur. Itaque functionem hanc et dignitatem Reverendae Dominationi Vestrae a Domino Deo faustum atque ex omni parte felicissimam esse precamur, ut quam ille oviculis istic suis praefectam voluit, in sua administratione benedicat et spiritu sancto suo conatus eiusdem regat et gubernet, ut gregem sibi commissum contra quosvis Sathanae latratus fortiter et infracto pectore ad salutaria pascua ducat et ovile Christi numerosum ac secundum reddat, ne boni tantum pastoris nomen inde ferat, [f. 948] sed alios quoque suo exemplo incitet, ut bonam et intrepidam in Christo militiam militent et crescentem Ecclesiam in Regno Anglico provehant. Quemadmodum autem par est, ut unius corporis membra unanimem capitis sequantur consensum, ita in religionis negotio nobis videtur apprime necessarium esse, ut qui se pro christianis haberi volunt, ab eo doctrinae corpore, cuius caput est Christus, non recedant, sed quam ille ad aeternam beatitudinem praescripsit methodum, sequamur, neque ipsi nostra industria viam aliam quaeramus, quae vel ad devia ducat, vel aberrare nos a vero scopo faciat.

Itaque cum recordemur Reverendam Dominationem Vestram, quando ad nos hic esset, pie asseruisse non haberi aptiorem religionis verae et christiane formulam, quam quae esset in Augustana (ut vocant) confessione, dubium nobis nullum est Reverendam Dominationem Vestram pro pietate sua conaturam esse, ut ea ipsa confessio in Angliae quoque Regno appro-

betur, siquidem [f. 949] per omnia sacris literis consentientem esse melius nobis Reverenda Dominatio Vestra intelligit. Neque rationem accommodatiorem esse posse iudicamus ad pacandum Regnum illud et tranquillitatem in eo constituendam, quam si consensus hic in doctrina reciperetur. Non modo enim maximam Germaniae partem, verum et potentissima Regna, ubi veritas evangelica sonat, sibi devinctissima redderet, sicut et horum pium exemplum iam per Dei gratiam inclytum Poloniae Regnum cum Magno Lituaniae Ducatu et finitimiis provinciis sequitur atque eam, quam diximus, confessionem amplecti coepit, idolatriam autem pontificiam execratur. Idcirco ad unum ovile constituendum, in quo oves pastoris Christi vocem unam eandemque audiant, salutare opus atque Deo gratissimum Reverenda Dominatio Vestra factura est, si eo, ad quod ultiro hic propendere illam cognovimus, animum, cogitationes, studium, autoritatem, operam denique omnem suam contulerit. Quantum enim utilitatis tam ad bona aeterna [f. 950] quam temporalia doctrinae consensus afferat, et quantum econtra ex distractione subsequatur, obscurum Reverendae Dominationi Vestrae non est.

Quam ob rem Reverendam Dominationem Vestram amanter hortamur, ut quam per Dei gratiam lucem veritatis amplexa est, strenue in propaganda ea perget, et filium Dei pro piis hisce laboribus, quos in vineam illius impedit, magnum sibi in futuro saeculo debitorem reddit laetamque cum electis omnibus mercedem ab eo reportet. Quam ad rem dextre procurandam aeterni Patris Domini nostri Iesu Christi gratiam largiter Reverendae Dominationi Vestrae impertiendam, illamque pro salute multorum diu salvam, incolumem et superstitem conservari ab eodem Domino exoptamus. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Elisabeth.*

N. 5036.

S.l., 30.III.1560.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Konarski

litteras ad palatinum Moldaviae [Alexandrum] mittit et rogat, ut eas ad eundem palatinum perferendas curet (cfr. N. 5030.).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 950-951.

N. 5037.

S.l., 31.III.1560.

Albertus dux in Prussia

«praesidi Phrisiae»

pro subdito suo Laurentio Rudolph, cive Regiomontano, qui a quodam debitorum suo in Frisia «in urbe Staffern» habitante, Funge Gelmer nomine, debitam sibi ratione contractus venditionis pecuniam consequi non potest.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 951-953.

N. 5038.

S.l., 6.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

se ad litteras eius, 8.III.datas, quas in scriptorio suo invenit, nondum respon-
disse arbitratur; itaque pro nuntio de nuntiorum Livoniensium («der eyf-
*flendischen secretarien») expeditione sibi communicato gratias agit; se
ex recentioribus litteris eius intellexisse significat, quid iisdem «secretaria-
riis» palatinus Vilnensis [Nicolaus Radziwill «Niger»] «in privato collo-
*quio» responderit; rogat, ut porro etiam nova scribat; per tabellarium
suum Vitum Senge cornua cervorum et alcium, necnon duos canes Angli-
cos, sibi recens ex Anglia missos, reginae Catharine dono mittit.**

(*Schedula: de mandato ad terrarum Prussiae thesaurarium [Ioannem Kostkaj] a rege impetrando se ad Ioannem Dulski scripsisse nuntiat et*
rogat, ut illum eius negotii admoneat).

(*Germanice*)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 422r-424.

N. 5039.

S.l., 7.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de palatino Plocensi [Alexandro Nowski], qui loca inter Prussiae et Masoviae
Ducatus adhuc controversa arare et conserere ausus est, queritur; rogat,
ut eundem palatinum, pro conservanda pace et tranquillitate communi,
ita coercere velit, «ut ab omnibus violentis consiliis et conatibus erga
meos subditos et capitaneos in posterum sibi temperet et ab aranda
terra in locis controversis usque ad finalem limitum terminationem
desistat».

(*Schedula: petit, ut ad limites regundos commissarios delegare velit).*

(*Latine*)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 959-964.

N. 5040.

S.l., 7.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

Georgio Chodkiewicz, incisor regio,
pro equo gradario sibi misso gratias agit.

(*Latine*)

Cfr. El. XLI, N. 1738.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 957-958.

N. 5041.

S.l., 7.IV.1560.

*Albertus dux in Prussia
palatino Masoviae [Stanislao Ławskij]
pro benevolentia subdito suo Philippo Grüne exhibita gratias agit, eundemque,
cum litteris testimonialibus «civitatis... Kneiphofianae sigillo munitis»
ad eum redeuntem, iterum commendat.
(Latine)
Cfr. El. XLI, N. 1734.
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 958-959.*

N. 5042.

S.l., 8.IV.1560.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
queritur transumptum privilegii regii, subdito suo Gulielmo Natzimer conces-
si, quo in possessione castri Drahim conservaretur, Vilnae ab ordinariis
iudicibus regiis pro nullo et non fide digno habitum esse.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 964-968.*

N. 5043.

S.l., 9.IV.1560.

*Albertus dux in Prussia
Catharinae reginae Poloniae
per servitorem suum Vitum Senge mittit ei 2 cornua alcium et 2 cervorum,
necnon 2 canes Anglicos, quos petiverat, et rogat, ut donum hoc clementer
accipiat; eundem servitorem suum, aliquot negotia sua regi propositurum,
commendat.
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 424r-425.*

N. 5044.

S.l., 9.III.1560.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
Vitum Senge, mandatarium Georgii Libenauer, «qui cum omnis generis
rebus ad armaturam pertinentibus exercet», ad regem proficiscentem,
commendat et regem hortatur, ut si armis optimis sibi comparandis inten-
tus sit, ab eo emat.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 968-969.*

N. 5045.

S.l., 9.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
Vitum Senge, mandatarium Georgii Libenauer, armorum mercatoris, com-
mendat (cfr. N. praeced.).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 969-970.

N. 5046.

S.l., 9.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*pro Valentino Stolle, servitore suo, causam de hereditate defunctae sororis
suae habente, in qua a regio fisci procuratore Gedanensi negotium ei
facessitur, intercedit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 975-980.

N. 5047.

S.l., 9.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

archiepiscopo Gnesnensi [Ioanni Przerembski]

*Valentinum Stolle, subditum suum, de hereditate a sorore sua demortua relicta
causam habentem, commendat.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1781.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 970-971.

N. 5048.

S.l., 9.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

Petro Paulo Vergerio

*litteras suas ad Augustum electorem Saxoniae, ad reginam Angliae et Guliel-
mum Barlow, episcopum Cicesterensem, mittit et rogat, ut curet, quo ad
quos spectant per opportunum nuntium perferantur; se non ignorare scri-
bit negotia sua ei curae esse; petit, ut de rerum omnium statu se certiorem
reddat.*

(*Schedula: de «phrasibus loquendi» in sacramento Cenae Dominicae*).

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 973-975.

Vergerio, 9 Aprilis.

Mittit quasdam literas et commendat sua negotia.

Quemadmodum sub Reverendae Dominationis Vestrae discessum recepimus nos literas ad Illustrem Dominum Ducem Augustum Electorem, nec non ad Serenissimam Angliae Reginam¹⁾ et Episcopum Gulielmum Barlowe²⁾, a nobis scriptas, post Reverendae Dominationi Vestrae missuros esse, illas ab hoc tabellione Reverenda Dominatio Vestra accipiet curabitque, ut porro ad quos spectant per opportunum aliquem nuntium perferantur. Mittimus quoque exemplar gravaminum, quibus S. Romani Imperii Principes de Pontifice³⁾ questi sunt, clementer postulantes, ut nobis ignoscatur, quod praesenti hic Reverendae Dominationi Vestrae illud non dede- rimus.

De negotiis nostris Reverendam Dominationem Vestram submonere supervacaneum esse ducimus. Scimus enim illa Reverendae Dominationi Vestrae ita curae esse, ut submonitore aliquo [f. 794] non indigeat. Deus Optimus Maximus successus in illis prosperos largiatur et Reverendam Dominationem Vestram deducat salvamque et incolumem conservet. De nobis sibi Reverenda Dominatio Vestra amici Principis benevolentiam pollicetur, seque amari a nobis plurimum credat. Amanter cupientes, ut nos Reverenda Dominatio Vestra de rerum omnium statu per omnem occasio- nem certiores reddat orationibusque suis commendatos habeat. Daturi operam, ut benevolentia id ipsum nostra quovis tempore compensemus. Datae.

Cedula

Petit phrases loquendi de verbis Cenae Domini transmitti.

Quandoquidem Reverenda Dominatio Vestra, cum ad nos esset, de phrasibus loquendi in actione memoriae testamenti corporis et sanguinis Christi mentionem faciebat, dedit nobis occasionem pro qualicunque nostro intellectu conquirendi modos et formulas eius locutionis. Quas in scheda [f. 975] descriptas Reverendae Dominationi Vestrae mittimus, ut quantum pontificiis in errore transubstantiationis et²⁾ concedendum esse videat. Amice autem petimus, ut Reverenda Dominatio Vestra cum primo aliquo nuntio suum nobis de his loquendi formulis iudicium perscribat. Factura rem nobis gratam. Datum ut supra.

z) sic in ms.

1) Elisabeth.

2) Barlow.

3) Pius IV.

N. 5049.

S.l., 12.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Philippe Padniewski] et, mutatis mutandis, Nicolao Radziwiłł «Nigro» et Stanislao Karnkowski
pro Valentino Stolle (cfr. N. 5046.).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 980-983.

N. 5050.

S.l., 16.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

*Marco Zeiowski (?), capitaneo in Polaga (Polangen),
pro Ioachimo Segern, subdito suo, «in via libera et regia» a quodam subdito
eius ex insidiis male vulnerato et manco effecto, intercedit et rogat, ut subdito suo iustitiam administret et criminis auctorem ad iniuriam compen-*
sandam adigat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 984.

N. 5051.

S.l., 17.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
pro Ioanne Scheue, cive Gedanensi, qui Vilnae a Rutheno pelles lutarum,
interprete quodam Iudeo, emerat easque iuxta conventionem utrinque
factam solverat, et nunc una cum subdito suo Ambrosio Schellenberg,
cive Regiomontano, ab eodem Rutheno vexatur, quasi pro dictis pellibus
pecuniam non dederit, intercedit et rogat, ut eis iustitiam administrari
iubeat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 985-986.

N. 5052.

S.l., 24.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

regi Galliae [Francisco II]

*Valentinum Hubner, per multos annos fratrini sui Gulielmi, archiepiscopi
Rigensis, «in rebus ad culinam spectantibus» servitorem, commendat et
rogat, ut eum in servitorum suorum numerum recipiat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 986-988.

N. 5053.

S.l., 24.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

*Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,
rogat, ut litteras suas ad regem et palatinum Vilnensem de auxiliis Livonibus
contra Moscum ferendis et de navigatione Lubecensi et Hamburgensi in
Moscoviam prohibenda eis, ad quos spectant, reddendas curet et negotia,
de quibus scribit, promoveat (cfr. NN. 5054, 5056).*

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 427v-428.

An Gabriel Terla, den 24 Aprilis.

Nachdem wir in beyligenden briefen allerley an die cum tittulo ko.mt. zu Poln etc. und den hern willnischen woywoden¹⁾, sowol den zugesagten schutz den Eyflendern als die von der ko.mt. zu Dennemarken²⁾, auch furhandene hulf demselben betruckten land, ferner auch deren von Lubegk und Hamburgk schiffart in die Muscau und sonsten belangende, geschrieben, sinnen wir gantz gnediglich, ir wollet unbeschwert sein, solche schreiben an geburende orth zu behendigen und daneben befurdern, das unserm treuen rathen, vermahnen und warnen, angesehen die vor augen stehende gevahr, sowol bey der ko.mt. hoch – [f. 428] gedacht als dem hern wilnischen woywoden stadt gegeben, damit die betruckten lande eiliche hulf erlangen und entsetzt werden mögen, und nicht etwo durch lange tagleitung dem feindt seinen willen zu schaffen raum gegeben, seintemal als uns fur gewiss beykompt, er alle seine macht disen sommer gegen Eylandt zu wenden furhabens und villeicht wider im anzug albereit sein soll, nicht zweifelende, ir in disem und allem andern aus cristlichem mitleiden der armen lande euch wilferig erzeigen werdet. In deme that ir etc.

A[ndreas] Monczer

1) Nicolaus Radziwill «Niger».

2) Fridericus II.

N. 5054.

S.l., 25.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de rebus Livoniensium afflictissimis et de eorum querela, quod rex castra eorum sub suam protectionem acceperit, nulla tamen eis auxilia ferat; de Lubecensium et Hamburgensium conatibus, navigationem in Moscoviam parantibus; de eadem navigatione avertenda; de rege Daniae, auxilia Livonibus pollicito; de periculo ex distractione animorum inter Polonos et Lithuaniaos orituro.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1001-1010.

Regi Poloniae, 25 Aprilis.

Exponit pericula terrarum Livoniensium, rogit mitti auxilia.

De navigatione Lubecensi. De Rege Daniae¹⁾, qui auxilia promisit.

Serenissime Rex etc.

Etsi dubium mihi nullum est constare S. Regiae Vestrae Maiestati ex communi fama, quantum tirannidis Moschus prae- [f. 1002] dando, vastando depopulandoque in Livoniae terris exerceat, ut taceam in captivitatem et perpetuam servitutem abductos, tam de nobilium quam plebeo ordine homines, tamen cum per hosce dies idem mihi multis querimoniis et dolenter Reverendissimus frater meus, Dominus Archiepiscopus Rigen-sis²⁾, significaverit, facere non potui, quin de rebus eius provinciae afflictissimis sane ad S. Regiam [Vestram] Maiestatem prescriberem. Queritur inter cetera Reverendissimus frater meus in maximo consistere terras illas

periculo, castrumque dioecesis suae Schwaneburgen propter continuas ex Marieburgo³⁾ hostium incursions non minori discrimini expositum esse. Ac timere se, siquidem auxilia desunt, ne illud ipsum in ditionem hostium quoque brevi veniat.

Ad haec perlatum ad me est esse in ore omnium apud Livonienses gravem de S. Regia Vestra Maiestate querelam, quod S. Regia Vestra Maiestas castra eius provinciae in defensionis pignus acceperit illisque utatur et [f. 1003] fruatur, nulla vero auxilia ferat. Quae res cum in S. Regiae Vestrae Maiestatis non levem dignitatis et nominis laesionem vergere velle videatur, officii et fidei meae esse duxi non tantum haec officiosissime S. Regiae Vestrae Maiestati indicare, sed pro negotii magnitudine ipsam quoque submisse orare, ut clementer eas rationes ineat, ne hanc sibi notam aspergi patiatur. Prudenter quoque secum expendat potentiam et immanitatem hostis tirannissimi, quantum intersit S. Regiae Vestrae Maiestatis illum a parietibus vicinis arceri, dum aliqua adhuc ex parte res salva est. Ex aliis exemplum S. Regia Vestra Maiestas procul dubio tenet, quid vel levissimae irruptiones celeritate nocuerint, ut grassanti atque eo usque progresso, iam imo in foribus existenti et cervicibus proximo hosti liberam mactandi et saeviendi facultatem ita concipiendo permitti dolendum sit. Misereatur S. Regia Vestra Maiestas [f. 1004] hominum afflictissimorum, qui fusis ad Deum lachrimis contra pacta et ius protectorium deserit se queruntur, malumque hoc, dum facile adhuc potest, propulset, ne nimis sero oppressis tandem subventum cupiat et, hoste adeo potente vicinore facto, rei benerendae occasionem omnem, non sine suo suorumque periculo, sibi praecisam vel neglectam doleat.

De Lubecensibus et Hamburgensibus confirmantur ea literis hominum fide dignorum, quae nuper ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscripsi. Habent enim classem instructam et fortassis littore etiam iam solvendam Wiburgam versus, non curata S. Regiae Vestrae Maiestatis clementissima et benigna dehortatione. Ut autem fucum faciant, dicuntur cum aliis mercimoniis clausisse in velamentis pulverem bombardicum, sulphur, nitrum et eius generis alia ad rem armamentariam pertinentia. Quae res quantum animi et roboris hosti allatura sit, facile S. Regia Vestra Maiestas [f. 1005] iudicare potest. Itaque, sicut antea consului, pro communi omnium salute et bono omnino rationes ineunda videntur, quibus ea navigatio prohibeatur. Meliorem ego quidem non invenio, quam quae proxime ad S. Regiam Vestram Maiestatem perscripta a me est.

Sunt his in urbibus meis Regiomontanis qui se suis sumptibus (libera sibi praeda relicta) ultro offerunt ad avertendam eam navigationem, sed patrocinio alicuius domini opus habent. Quod si S. Regia Vestra Maiestas literas passuum, ut vocant, ad me miserit, in eam sententiam scriptas, quod hanc et illam navem ad intercipiendos eos, qui ad Moschum quoquo modo armandum vel commeatum illi advehentes deprehensi fuerint, mari commiserit, dabo operam, ut naves aliquot expediantur. Recipiunt quoque illi ipsi, ubi auxiliares ad Moschum naves non animadverterent, occasione oblata in [f. 1006] Muscoviam se irrupturos et hosti, quacunque poterunt ex parte, viriliter nocituros esse. Itaque arbitrio S. Regiae Vestrae Maiestatis relinquo, quid hoc in casu factum velit. Ego mea obsequia promptissime illi deferō.

Ad extremum latere S. Regiam Vestram Maiestatem nolo, Serenissimum Daniae Regem ex emolumento fratris sui⁴⁾ auxilia Livoniensibus promisso, iamque naves illius cum copiis auxiliaribus in Gotthia appulisse feruntur. Accepturus est autem frater illius pro ea defensione episcopatum

Osiliensem cum tota Curonia, necnon provinciam Harriæ et Wirlandiae, antiquitus, ut aiunt, ad Daniae Regnum pertinentem. Dicitur idem Serenissimus Rex denuntiasse Lubecensibus et Hamburgensibus, ut ab ea, quam destinarunt Wiborgum navigatione, supersedeant. Sin vero secus fecerint, ut sibi caveant. Haec si ita se habent, sicut vera esse perlatum ad me est, magnum videntur scrupulum proposito S. Regiae Vestrae [f. 1007] Maiestatis injectura esse. Itaque qualicunque meo iudicio maturato opus esse puto, ne bolus S. Regiae Vestrae Maiestati praeripiatur.

Ceterum et hoc subnectendum censui. Intelligere me multorum relatu esse distractionem quandam animorum inter ordines Regni S. Regiae Vestrae Maiestatis Poloniae et Magni Lituaniae Ducatus ratione terrarum Livoniae. Qua re cum nihil detestabilius magisque periculosum in imperiis sit, fecerit S. Regia Vestra Maiestas rem pernecessariam, si ad unanimitatem utrosque populos reduxerit, corpusque dissensione hac divisum consolidari curet. Praeterquam enim quod concordia res parvae crescunt et discordia magnae dilabuntur, ita ad expeditionem in Moschum faciendam Regnum Poloniae ad manum omnino habere refert. Etsi enim vires Magni Lituaniae Ducatus non exiguae sunt, tamen si ad potentiam hostis confruantur, [f. 1008] metuendum est, ne illi inferiores futuri sint. Tenet S. Regia Vestra Maiestas memoria, quantum negotii datum sit divo illius parenti, cum contra Moschum bellum moveret. Ibi Maiestas Sua Polonicas cum Lituanicis copias coniunctas habebat, et perficere tamen illud, quod sperabat, non poterat. Quid fiet, si S. Regia Vestra Maiestas, posthabitis Polonis, cum solis Lituanis contra validissimum eum hostem arma sumpserit? Idcirco S. Regia [Vestra] Maiestas non postremam hanc curarum suarum suscipiat de consocianda vicissim utraque gente, ut coniunctis illa viribus eo fortior hosti obviam ire et sperata victoria potiri queat, ne Moschus, intellecta ea distractione, rationes ita suas disponat, ut magno cum periculo pugnandum S. Regiae Vestrae Maiestati sit ac, quod Deus avertat, clade accepta ipsa non se et Lituaniam modo, sed exinde Regnum quoque Poloniae [f. 1009] discriminari praesentissimo exponat.

Haec cum S. Regia Vestra Maiestas longe prudentius me prospiciat, plane confido illam malo ingruenti tempestive, sicut necessitas postulat, ipsa quoque consuevit et bene novit, occursuram et scintillas, antequam in flammarum erumpant, deleturam esse. Ego pro fide haec mea et officio, S. Regiae Vestrae Maiestati debito, praemoneo, suadeo et consulio. S. Regiae Vestrae Maiestatis est constituere, quid prudentiae illius magis expedire sibique et laborantibus in primis necessarium esse visum fuerit. De mea diligentia, studio, observantia et fide non est quod dubitet. Non modo enim promptissimo ad hoc animo feror, sed pro salute Reipublicae Christianae, praecipue vero terris S. Regiae Vestrae Maiestatis in tranquillo statu conservandis avertendisque documentis quibusvis obligatum me agnosco. Deus Optimus Maximus hostium conatus ad amplificandam [f. 1010] nominis sui gloriam frangat et S. Regiam Vestram Maiestatem diutissime salvam, incolumem et in gubernatione florentem omnique ex parte felicissimam esse faxit. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Fridericus II.*

2) *Gulielmus, marchio Brandenburgensis.*

3) *Marienburgum, arx in Livonia.*

4) *Magnus, dux Holsatiae.*

Albertus dux in Prussia

Ioanni Tarnowski et aliis

*de periculis ex discordia et animorum inter Polonos et Lithuanos distractione
manaturis, hoc praesertim tempore, quo rex de bellica contra Moscum
expeditione cogitat.*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 995-1001.

Ioanni Comiti in Tarnow. Mutatis mutandis Stanislao Comiti in Tanczin¹⁾, Lucae a Gorka²⁾, Archiepiscopo Gnesnensi³⁾, Episcopo Cracoviensi⁴⁾, Martino Zborowski⁵⁾, Stanislao Ostrorog⁶⁾, XXV Aprilis.

[f. 996] Hortatur ad incendium distractionis inter Lituanos et Polonus restinguendum, exponitque periculi magnitudinem, si latius serpere contingat.

Illustris, Magnifice ac Generose, Frater et Amice nobis singulariter dilecte.

Fama ad nos perfertur esse distractionem quandam animorum inter inclitum Poloniae Regnum et Magnum Lituaniae Ducatum ratione patrocinii Livoniensium. Quod ita se habere etsi certo non affirmamus, tamen cum inde in varias cogitationes pertracti simus, non potuimus non ea de re literas ad Illustritatem Vestram dare. Ac primo quidem dolori nobis esset permaximo ob levem fortassis causam unius corporis membra vel dissidere vel alienioribus invicem animis esse, cum nihil magis exitiale sit, nihilque aeque imperii noxiun atque illud malum, quod ex intestinis dissensionibus surboriri solet. Ut autem rebus in tranquillo etiam statu positis discordia pernicies est praesentissima ac magnorum regnorum eversiones peperit, quanto plus belli tempore, ubi in hostem eundum, est [f. 997] execranda. Itaque dolori nobis esset eo vehementiori, si hoc tempore, ubi S. Regia Maiestas de expeditione in Moschum cogitat, fomentum aliquod distractio- nis inter Polonię et Lituanię aleretur. Quandoquidem ea ratione hosti non modo non incommodaretur, sed multum animi ad rem dextre confi- ciendam adderetur. Itaque fidei nostrae, qua S. Regiae Maiestati et inclito Poloniae Regno obligati sumus, memoris has ad Illustritatem Vestram lite- ras dandas esse censuimus, fraterne ac amice illam petentes, quod si malum hoc distractionis inter ordines Poloniae gliscere animadvertisit, ut omnem curam suam impendat, ne vires sumat. Sicut enim prudenter mul- torum exemplis eventura inde prospicit, ita ex fide eadem Illustritas Vestra, qua nos quoque, corporis illius, cuius praecipuum illa membrum existit, salutem ante omnia provehere tenetur, ne ob levem aliquam offen- sam mutuis et intestinis dissensionibus periculo exponi socias et incorpo- ratas provincias contingat, sed ut in tempore remedia salutaria sauciatis membris adhibeantur pristinaque animorum coniunctio reducatur.

Cum enim ita inter Poloniae Regnum et Magnum Lituaniae Ducatum comparatum sit, ut validissimos hostes utraque gens sibi vicinos habeat, qui fieri potest, ut altera sine altera esse queat? Etsi enim Poloniae Regnum potentissimum est, neque Magnus Lituaniae Ducatus longe inferior. Tamen neutra sine altera, animis inter se offensis, unquam hostem feliciter propulsabit. Sed sicut in humano corpore membrum aegrotans, derelictum vel neglectum a suo vicino et consociato deperit et suo malo proximum deinde quoque inficit, ita si Regni alicuius membra inter se dis-

sidentia periculo alterius [f. 999] non tanguntur, non modo illud, quod negligunt, perdunt, sed se ipsa quoque perditioni exponunt. Quare cum S. Regia Maiestas in Lituaniae finibus hostem habeat non contemnendum, ut nisi se suosque periclitari magis magisque velit, defensionem Livoniensem suscipere coacta quasi sit, amanter ac fraterne Illustritatem Vestram rogatam habemus, quod si intellexerit male hoc habere aliquos et fortassis offensos esse, quod in consilium adhibiti non fuerint, leniat quaesumus hoc ipsum, plurisque faciat totius Reipublicae salutem, quam levem hanc offendiculam, agatque sedulo, ut unanimitas inter utrosque populos constituantur atque ita coniunctis viribus hosti occurratur. Monet hoc suadetque christiana, quam (diis gratia) inclytum Poloniae Regnum iam quoque profitetur [f. 1000] religio, exposcit charitas et flagitat periculi magnitudo iamque parietibus vicinum incendium.

Cogitet Illustritas Vestra, quam violentum et praepotentem Polonia hostem praeter ceteros habitura esset, si (quod Deus avertat) Lituania, quae propugnaculum quasi illa ex parte est Regni Poloniae, viribus Moschi inferior, a Polonia ita derelicta cladem acciperet. Vicissim et illud reputet, ubi unitis viribus et Poloniae et Lituaniae S. Regia Maiestas Livoniam sui iuris faceret, quantum inde solatii, dominii et potentiae Regno Poloniae accederet, quamque opportune et viriliter hostis profligari atque erepta recuperari possent. Idcirco maiorem, quo potest, in modum Illustritas Vestra caveat, ne Polonia in hac contra Moschum expeditione a Lituania divellatur, nihilque intentatum relinquat, quod quoquo modo ad [f. 1001] reconciliandam utramque gentem expedire intellexerit, ne nimis sero illud: non putaram, deploremus et damno accepto sapiamus. Erit hoc non honorificum modo Illustrati Vestrae, sed ex salute in primis Reipublicae omniumque nostrum, qui fidem S. Regiae Maiestati et Poloniae Regno deditus. Deo etiam ipsi, qui pacem et concordiam non retinendam modo, sed quovis modo constituendam ac offensarum non memores esse praecipit, gratissimum. Nos vero amicis fraternisque studiis nostris laborem hunc Illustrati Vestrae compensabimus. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

- | | |
|--|--|
| 1) Stanislaus Tęczyński, palatinus Cracoviensis. | 4) Andreas Zebrzydowski († 25.V.1560). |
| 2) palatinus Lanciensis. | 5) palatinus Posnaniensis. |
| 3) Ioannes Przerembski. | 6) castellanus Międzyrzecensis. |

N. 5056.

S.l., 25.IV.1560.

*Albertus dux in Prussia
Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
de auxiliis Livonibus adversus Moscum a rege ferendis; de navigatione Lubecensis
et Hamburgensis in Moscoviam prohibenda etc.
Ostpr. Fol. 55, ff. 1027-1043.*

Duci in Olika, XXV Aprilis.
Rogat, ut suasor et adiutor sit, quo Livoniensibus auxilia ferantur.
Item de classe Hamburgensi et Lubecensi in Muscoviam etc.

Illustris Princeps etc.

Neminem esse arbitramur, qui res Livoniensium afflictissimas non commiserando doleat, pressisque subventum cupiat. Quae cura cum eos praeципue tangere debeat, quibus malum hoc proximum et in limine quasi vicinum est, non potest nobis non dolori esse maximo christianaे fidei homines gentemque sociam, faucibus et rabiei hostis crudelissimi¹⁾ expositam, defensione destitui. Quae res non modo ex vulgari fama maeorem nobis auxit, sed quod [f. 1028] Reverendissimus frater noster, Dominus Archiepiscopus Rigensis²⁾, hisce diebus nobis nuntiavit, quantam hostis saevitiam indies exerceat, non contentum esse vastationibus, incendiis et spoliis, verum et in perpetuam servitutem abduci homines, tam nobiles quam plebeos, et miserando iugo premi, tum quod ex Marieburgu quotidianas in archiepiscopatum Rigensem incursiones habeat, ita ut castrum Schwaneburg propter continuas impugnationes in extremo periculo positum sit, metuendumque, ne se dedere hosti cogatur, cum quod praesidiarii illius sine intermissione propulsandis hostibus enervantur, tum quod auxiliares suppetiae illis desunt, nihilque ex rebus necessariis propter interceptos ab hostibus aditus habere possint. Quae res quanto cum discrimine non tantum eius provinciae, sed vicinorum quoque populorum futura est, si potiri hostem munitionibus contingat, Illustritas Vesta prudenter intelligit, ut taceamus labefactationem inde permaximam nomini et dignitati S. Regiae Maiestati aspersam.

[f. 1029] Perfertur enim ad nos communem esse in Livonia omnium querelam accepisse in possessionem S. Regiam Maiestatem castra, dedisse promissa de ferendis auxiliis, de liberatione, de recuperandis iis, quae ab hoste occupantur, nihil autem eorum praestari, verbis se tantum lactatos esse, atque in summa calamitate et mactatione miserorum S. Regiam Maiestatem in utramque quasi aurem dormire, non moveri illorum afflictione, non clamoribus, non precibus, non innocentum crudeliter in frusta dissectorum sanguine. De Illustritate quoque Vesta bene se sperasse semper, sed cunctanter et lente illam quoque in rebus maximis et celeritate indigentibus agere, non esse Illustritati Vestrae amplius cordi hanc rem. Itaque cum se deserit nihilque minus, quam de ferenda defensione S. Regiam Maiestatem agere videant, coactos iri, ut quicunque venerit, sive Rex Daniae³⁾, sive alius quispiam, qui auxilia illis tulerit, eius patrocinio [f. 1030] et clientelae se submissuros, non curatis ullis cum S. Regia Maiestate foederibus. Se enim pactis stetisse, tradidisse tot castra pro defensione, nihil vero ex missis a S. Regia Maiestate recepisse, ut praetereamus alia his graviora.

Cum vero nihil nobis aeque cor nostrum sauciare possit, quam cum ignominia dignitatem S. Regiae Maiestatis traduci, Illustritatem autem Vestram male quoque audire, pro fraterna coniunctione commune nobis ducimus, facere non potuimus, quin ad Illustritatem haec Vestram non alio quam candido et sincero pectore perscriberemus. Cumque rem hanc omnem in magnum et S. Regiae Maiestatis totiusque Magni Lituaniae Ducatus atque Illustritatis quoque Vestrae vilipendium vergere velle videamus, amanter ac fraterne Illustritatem Vestram rogamus, velit et S. Regiam Maiestatem et se ipsam calunia hac liberare, proque authoritate sua, qua pollet plurimum, monere, consulere, urgere et efficere, ut oppressis auxilia ferantur, ne quod iure querantur habeant. Quam enim exiguum sit hoc, collatione [f. 1031] ad hostem potentissimum facta, quod S. Regia Maiestas milites aliquot praesidiarios castris suis in Livonia praefecit, ipsa Illustritas Vesta iudicare potest. Et non aliquot centenis ad defensionem,

sed millibus aliquot opus esse. Ea ratione S. Regia Maiestas nominis et dignitatis suae integritati recte consulet ac sibi suisque, siquidem hostem in alieno potius solo quam suo profligari praestat, plurimum commodabit.

Huc et illud accedit, quod omnino defensio prompta videatur maturanda esse, ne alius S. Regiam Maiestatem praeveniat et, plurimis ablatis, stipulas Maiestati Suae relinquit. Celare enim Illustratam Vestram nolumus, Daniae Regem (uti certo ad nos perfurit) instructa classe auxilia Livoniensibus mittere, iamque appulisse in Gottia. In recompensatione autem eius subsidii accepturum esse fratrem illius germanum⁴⁾ episcopatum Osiliensem cum tota Curonia, necnon Harriam et Vinlandiam. Eius [f. 1032] adventum magno aiunt in Livonia desiderio omnes expectare. Quod si Serenitas Sua in his angustiis Livoniensibus saltem cum qualicunque manu auxiliariorum aderit, metuendum equidem est, ne rebus sic stantibus (quandoquidem durum telum necessitas et salute nihil charius) tota illa provincia se illius clientelae dedit. Quanto autem cum dedecore S. Regiae Maiestatis et Magni Lituaniae Ducatus ignominia perpetua hoc foret, nemo est qui non facile videat. Idcirco cum melius sit praevenire quam praeveniri, agat Illustritas Vesta sedulo, ne auxilia differantur, reiectis in aliud tempus quibusvis aliis tractatibus, siquidem intempestivum nobis videtur nunc tractatibus primum vacare, cum defensioni iam pridem intentos animos et in procinctu militem habuisse convenerat. Facillor ad tractatus eiusmodi et ex sententia conficiendos in ipso defensionis actu occasio se dari consuevit. Nos pro fide S. Regiae Maiestati debita praemonemus. Illustratam autem Vestram pro fraterna coniunctione [f. 1033] hortamur sedulo, ne tempus rei bene gerendae negligi permittat, ne S. Regia Maiestas aut hostis immanissimi vicinitatem proximiorem et periculum tanto gravius sibi reddat, aut praeceptum sibi per Daniae Regem vel aliquem alium bolum sero doleat, atque ita spes illam de provincia Livoniae concepta fallat. Quae eo minus fallere poterit, si S. Regia Sua Maiestas ante Regem Daniae in expeditione constituta fuerit.

Facile enim Rege illo, quantumvis cum auxiliis tunc superveniente, pacisci ratione eius provinciae S. Regia Maiestas Sua posset, sociasque Serenitatis Suae vires sibi coniungere ac coniunctim tandem de invadendis Moschi terris consilium capere. Quae omnia quo maioris sunt momenti, eo commendatoria Illustrati Vestrae fore uti minime dubitamus, ita amanter et fraterne petimus.

Porro et hoc Illustrati Vestrae significandum esse [f. 1034] duximus, renuntiatum quoque nobis esse velle prius S. Regiam Maiestatem tractatus cum Moscho⁵⁾ habere de induitiis biennialibus. Cum ipse, ut fama est, suos iam ad diem sancto Georgio sacrum ad invadendam iterum Livoniam in expeditionem ire iusserit, cogitet quaesumus Illustritas Vesta, si eo se S. Regia Maiestas adduci passa fuerit, quantum incommodi inde metuendum sit. Certe non maiorem sibi Moschus opportunitatem dari optaret, quam si hoc obtineret. Interea enim temporis ad bene se armandum commoditatem haberet optimam et in muniendis castris, sicut in Marieburgo iam festinat, non segnem se praebaret, ita ut S. Regiae Maiestati labor perdifficilis post-hac, si non frustraneus foret, recuperandi ea ex manibus illius. Affirmatur quoque Moschum in toto eo tractu, qua ex Pletzkowo⁶⁾ iter est in Livoniam, viarum angustias locaque omnia palustria et via planicie et pontibus aequasse atque ita dilatassem, ut quattuordecim in ordine equites (f. 1035) commode coniunctim transire possint. Ad haec toto ex Pletzkowa itinere versus castra Livoniensia, quae potestatis suaee nunc sunt, singulis quattuor milliariorum intervallis hospitales pro se aedes extruxisse ac omnino illum

constituisse propria in persona exercitui suo adesse, atque hac ipsa aestate nullis fortunis parcentem vires omnes suas contra Livones ad subigendam eam provinciam convertere velle. Neque cessaturum prius, nisi Livonia sui iuris facta. Itaque ut ad propositum redeamus, unde digressi sumus, quod si belli tempore a Tartaris et aliis laccessitus hoc sibi nunc hostis audaciae sumit, et quid tempore indutiarum facturus, aut quanto esset instructior posthac futurus?

Quare Illustratatem Vestram amanter fraterneque petimus, ut diligenter [f. 1036] haec examinet, ne S. Regiam Maiestatem id consilii de indutiis capessere permittat. Habet S. Regia Maiestas hostem nunc in partibus istis Moschum solum adhuc. Quid fiet, ubi is Livoniam auxilio destitutam facili labore sibi subegerit, an non S. Regiae Maiestati difficilior tum expeditio et magis anceps, immo periculosior belli fortuna experiunda? Quandoquidem illi et cum Moscho et cum Livonibus deinde pugnandum esset. Idcirco in omnem eventum oculatum esse convenit. Operae pretium sane nobis videtur, ut S. Regia Maiestas ab Illustritate Vestra persuasa, et Regni Poloniae et Magni Ducatus Lituaniae consiliariis ad se vocatis, de his diligenter et temporius consultet deliberetque et distractionem animorum, quae inter utranque gentem esse fertur, ratione Livoniae gliscentem componat, ne corpore eo luxato magis, quam timetur, malum inde exoriatur. Habet quidem Magnus Lituaniae Ducatus vires non exiguae, sed si ad hostem confrerantur, nostro iudicio illi impares sunt. Nec [f. 1037] viribus unius provinciae, hoste contempto, omnia tribuenda videntur, cum plerunque hostis contemptus victorem agere soleat. Meminit procul dubio Illustritas Vestra, quantum negotii olim Moschus divo Sigismundo Poloniae Regi dederit. Cum tamen Maiestas Sua Polonicae vires Lituanicis coniunctas haberet. Et quid fiet, si neglecto vel posthabito Poloniae Regno contra illum arma sumentur? An non periculosior victoriae eventus apud S. Regiam Maiestatem, animosior autem spes Moscho foret? Itaque pernecessarium est, ut Polonia Lituaniae adiungatur atque unitis corporis totius auxiliis in expeditionem eo fortius eatur.

Ad quam rem ut Illustritas Vestra consultor, hortator et adjutor sit, certe rei magnitudo ipsa clamitat exposcitque, ne, si secus fiat, posthac cum nimis serum erit, [f. 1038] magno cum incommodo et ludibrio sapiamus et factum deploremus. Praesertim cum hostis magis magisque potentior et propinquior accedat et suam opportunitatem, licet pro barbaro habetur, minime negligat. Equidem is suo exemplo nos, quorum cervicibus iam imminet, ad vigilantiam excitare et veternum nobis excutere deberet. Pluribus de his cum Illustritate Vestra ageremus, sed cum salutem et incolumitatem, ante omnia autem bonam famam S. Regiae Maiestatis Illustratati Vestrae non minus ac nobis curae esse scimus, plane confidimus diligentius Illustratatem Vestram haec omnia apud S. Regiam Maiestatem acturam esse, quam scribi a nobis possunt. Erit hoc ex salute omnium S. Regiae Maiestatis Suae terrarum, Illustratati autem Vestrae honorificum.

Ad extremum latere Illustratatem Vestram nolumus, Lubencenses et Hamburgenses, non curata S. Regiae Maiestatis dehortatione, classem Wibergum destinasse, partim intro pulvere bombardico et sulphure rebusque ad rem [f. 1039] armamentariam pertinentibus onustam, in fasciculis autem, ne dolus animadvertisatur, mercimonalibus compactis. Quia vero nuper adeo ad S. Regiam Maiestatem perscripsimus magno eam navigacionem detrimento S. Regiae Maiestati Suae futuram, ac consultum viderit, ut naves ad prohibendam eam expedirentur, esse enim Gedani et in urbibus nostris Regiomontanis, qui praeda sibi relicta sortem experturi propriis sumptibus exornare naves parati sint, respondit S. Regia Maiestas se

id negotii Gedanensibus daturam. Cupere autem, ut nos illos ipsos, qui apud Gedanenses se hoc facturos offerant, confirmaremus. Sed cum illi nostris mandatis non audientes futuri essent, rescripsimus S. Regiae Maiestati Suae, si per tales homines eam navigationem prohiberi vellet, opus illis omnino esse aliquo patrocinante domino et literis, [f. 1040] quas passum vocant, in eam sententiam scriptis, ut omnes intelligerent, in quem usum naves illae mari commissae essent. Quoniam autem nihil nobis ad posteriores eas literas responsum est, petimus amanter et fraterne, ne gravetur Illustritas Vestra ea de re S. Regiam Maiestatem submonere. Quod si iudicium nostrum qualecunque hoc S. Regiae Maiestati Suae placuerit, scribat ad Gedanenses, mittatque in praedicta forma ad nos quoque passum literas ternas quaternasve. Quibus acceptis acturi sumus cum subditis nostris Regionontanis, ut et illi naves aliquot instruant. Recipiunt insuper illi ipsi, ubi nullas ad Moschum naves tendentes deprehendent, velle se periculum facere irruptione in Moscoviam et hostem quoquo modo lacesere.

Quae res cum ex S. Regiae Maiestatis et Livoniensium commodo non postremo sit, consulimus, ut hortator ad hoc S. Regiae Maiestati esse velit. Quanto enim plus variis ex partibus hostis impugnatur, tanto magis [f. 1041] vires suas distrahere cogitur, ut taceamus magnum illi robur adimi, rebus ad armandum eum interceptis. Sed ut finem scribendi faciamus, iterum atque iterum, pro communi omnium salute et singulari illo in Illustratem Vestram fraternali amoris nostri vinculo, non rogamus tantum, sed pro rei magnitudine obtestamur, velit sibi haec, si quae alia, commendatissima habere atque eo cogitationes omnes suas, studium denique, laborem et diligentiam conferre, ut afflictæ illi provinciae ex supra enumeratis non parvi momenti causis quam citissime succurratur, ne S. Regia Maiestas se et promissiones suas vulgi ludibrio exponat, vel suis quoque terris nimia illa securitate et procrastinatione incommodet. In quo uti nobis de Illustrate Vestra dubium nullum est, ita quod nostrarum erit partium, in [f. 1042] debitis S. Regiae Maiestati obsequiis nostris nihil desiderari passuri sumus. Amanter et fraterne autem Illustratatem Vestram oratam habemus, ut quae hisce in literis scribimus, ex amanti et fraterno animo profecta esse accipiat, neque secus interpretetur. Pro ea enim coniunctione, quae nobis cum Illustrata Vestra intercedit, hanc nobis libertatem scribendi sumpsimus et in similibus quoque eandem Illustratam Vestram non modo libenter concedimus, sed ipsa ut pari amoris fraternali iure vicissim utatur, illi permittimus. Quod superest, Illustratam Vestram diu sospitem, salvam et in columem conservandam committimus, nosque Illustratam Vestram pri stino favori amanter et fraterne commendamus. Datae.

Cedula ad Regem Poloniae

In harum consignatione scribitur ad me ex Lubeco, fuisse ibi naves aliquot destinatas Wiborgum versus, onustas magna ex parte intro, sed [f. 1043] Gedanensium opera istic arrestatas esse. Hamburgenses autem viginti instructissimas et bene armatas habere, quibus audacter Narvam versus, non curatis quorumvis minis, yela solvere constituerunt. Vehere autem illa omnis generis armamenta ad roborandum Moschum. Itaque quid ad prohibendam eam navigationem expediat factumque S. Regia Vestra Maiestas velit, eo maturius decernat. Datum.

A[ndreas] M[untzer]

- | | |
|--------------------------|----------------------------------|
| 1) <i>scil. Moschi.</i> | 4) <i>Magnus, dux Holsatiae.</i> |
| 2) <i>Gulielmus.</i> | 5) <i>Ioannes IV Basilides.</i> |
| 3) <i>Fridericus II.</i> | 6) <i>Plescovia (Pskov).</i> |

N. 5057.

S.l., 26.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

*Erhardo a Kunheim et, mutatis mutandis, Stanislao Myszkowski
rogat, ut negotium Gulielmi et Georgii Natzimer, filiorum Ioachimi, apud
regem ita promoveat, quo in pacifica possessione castri Drahim (Dra-
heim) conservari possint, neque a quodam deturbari.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 428-430.

N. 5058.

S.l., 27.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

*Sigismundo Augusto regi Poloniae
magistrum Ordinis Livoniensis [Gottardum Kettler] districtum Grobinensem
in Curonia «ad certum et definitum tempus cum omni usufructu
hypothecae nomine utendum» sibi tradidisse nuntiat et rogat, ut homi-
nibus suis per districtum regium Polangensem in districtum Grobinensem
proficiscientibus, «ubi de omnibus rebus ac mercibus, quae vel in Livo-
niam invehuntur vel inde exportantur, vectigal penditur», libere et citra
telonei exactionem transire liceat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 988-990.

N. 5059.

S.l., 28.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
rogat, ut operam suam apud regem interponat, quo servitoribus suis per
districtum regium Polangensem in districtum Grobinensem in Curonia
proficiscientibus vel inde redeuntibus libere et absque telonei exactione
cum rebus omnibus, quas suo nomine illa via exportare eos contigerit,
transire liceat (cfr. N. praeced.).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 990-991.

N. 5060.

S.l., 28.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
pro eius in se benevolentia et studio in negotiis suis promovendis impenso, de
quibus palatinum Marienburgensem sibi rettulisse nuntiat, gratias agit et
officia sua defert.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 991-995.

N. 5061.

S.l., 28.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski]

pro salute per palatinum Marienburgensem [Achatium Czema] sibi dicta gratias agit; nuntiat etiam se accepisse litteras mandati ad thesaurarium terrarum Prussiae [Ioannem Kostka] pro stipendii sui anni solutione; rogat, ut ad vitandam molestiam, quae huiusmodi litterarum editione regiatur, mandatum in singulos vitae suae annos durans a rege impetraret; commendat negotium limitum inter Masoviam et Lithuaniae ex una et Ducatum suum ex altera partibus regundorum.

(Latine)

Cfr. El. XLI, NN. 1746, 1748.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1043-1046.

N. 5062.

S.l., 28.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Dulski, aulico regio,

pro hospitalitate nuntiis suis exhibita et diligentia in promovendis negotiis suis adhibita gratias agit; rogat, ut litteras suas, ad palatinum Vilnensem [Nicolaum Radziwill «Nigrum»], R.P. vicecancellarium [Philippum Padniewski] et cancellarium [Ioannem Ocieski] scriptas, eis in manus proprias tradi curet; petit etiam, ut litteras mandati ad terrarum Prussiae thesaurarium [Ioannem Kostka] pro anno stipendio suo Marienburgi persolvendo impetrare studeat.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 430-431.

N. 5063.

S.l., 29.IV.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de rationibus et modis belli in Livonia contra Moscum gerendi sententiam suam profert.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1010-1024.

Regi Poloniae, 29 Aprilis.

Consilium de bello Livoniensi.

Serenissime Rex etc.

Magnificus Achatius Czema, Palatinus Marienburgensis, retulit mihi ea omnia, quae in commissis a S. Regia Vestra Maiestate habuit. Quia vero initio S. Regia Vestra Maiestas me per eundem clementer salutari ac benignitatem mihi regiam pro suo in me amore singulare offerri voluit, submis-

sas S. Regiae Vestrae Maiestati gratias ago ac vicissim illi obsequia mea deditissima, longam diurnamque incolumitatem cum reprecatione prosperrimorum successuum rerumque omnium incremento felicissimo ac in multos annos tranquilla [f. 1011] Regni terrarumque suarum gubernatione defero.

Quod ad alteram mandatorum S. Regiae Vestrae Maiestatis partem, de finibus scilicet Lituaniae, attinet, intelligo S. Regiam Vestram Maiestatem acquiescere in eo, quod literis ad me suis proximis perscripsit. Ego vero nihil sane minus, quam tale responsum suspicatus fuisse, cum quod literae illae controversas limitum particulas novae commissariorum inspectioni subiiciunt, cum tamen illae iam pridem ad S. Regiae Vestrae Maiestatis et meam personalem complanationem ab utrisque commissariis remissa sint, tum quod S. Regia Vestra Maiestas Vilnae mihi tradendarum earum partium coram spem clementissimam et liberalem fecit, deditque id negotii Magnifico Castellano Trocensi¹⁾, ut is particulas eas, in S. Regiae Vestrae Maiestatis et meam decisionem positas, in possessionem mihi traderet, sicut idem Dominus Castellanus eam traditionem mihi in Tilsa prae-stolanti hoc sibi in mandatis a S. Regia Vestra Maiestate datum esse nun-[f. 1012] tiavit. Itaque si nunc iterum in controversiam illae essent vocandae, exciderem spe illa, quam S. Regia Vestra Maiestas mihi fecit, et priorum commissariorum acta et remissiones iudiciae prorsus rescinderentur. Quam ob rem subiectissime peto, ut quod semel S. Regiae Vestrae Maiestati complacuit, displicere sibi nunc ne patiatur, exiguaeque finium eas partes, si non pactis, tamen ex regia munificentia mihi seni, attamen fideli et ad obsequia S. Regiae Vestrae Maiestatis paratissimo servitori, conferat. Ego vicissim ad extreum usque vitae meae halitum compensare hoc ipsum annitar sedulo.

Tertium est, in quo S. Regia Vestra Maiestas consilium meum de ferendis Livoniae auxiliis et expeditione in Moschum²⁾ suscipienda postulat. Etsi autem meam tenuitatem in rebus tam magni momenti agnosco, tum quod obscurum mihi est, quomodo instructa S. Regia Vestra Maiestas sit ad bellum capessendum, et quod qualitas negotiorum cum suis circumstantiis, terrarum quoque situs et conditio [f. 1013] plane mihi incognita est, ut consulendi partes minime mihi sumere deberem, tamen cum in omnibus obsequium S. Regiae Vestrae Maiestati meum pro qualicunque intellectu meo comprobatum cupiam, videtur mihi in eo rem totam consistere, ut vel de pace confiencia, vel bello gerendo S. Regia Vestra Maiestas constituat. Quodsi in hac Livoniensium extrema afflictione pacis conditio-nes tractandas censuerit, non sine ignominia S. Regiae Vestrae Maiestatis fieri id posse puto, cum quod S. Regia Vestra Maiestas castra a Livoniensibus in defensionis pignus accepit deque ferendis auxiliis spem dedit, tum si S. Regia Vestra Maiestas his non steterit, sed hosti ad grassandum libera-ram facultatem concesserit, relictisque cum enormi detimento et difficilima recuperatione in manibus illius castris Livoniae munitioribus. Et quid inde aliud quam nominis S. Regiae Vestrae Maiestatis labefactatio et Livoniae amissio [f. 1014] metuenda? Itaque ad pacem confiendam, rebus sic stantibus, nunc primum animum adiicere nimis serum et inconsultum mihi videtur.

Si vero bellum gerendum erit, sicut periculi magnitudo et ipsa neces-sitas flagitat, prima ragio ineunda est de pecunia, belli nervo, deque ductoribus equitum peditumque, qui non modo ad faciendum quoquo modo leve aliquod auspicium, sed ad rem fortiter gerendam cum honore et dignitate S. Regiae Vestrae Maiestatis sustinere totius belli onus idonei sint.

Altera huic est proxima, de victualium, pabulationis et commeatus prociatione. Terris enim Livoniae devastatis et depopulationibus hostium plane exhaustis, frustra defientibus his expeditio suscipitur. Haec omnia ubi in promptu et ad manum fuerint, tum celeritate opus est, non cunctandum procrastinandumve. Ea enim ratione S. Regia Vestra Maiestas, quantumvis bene instructa, indies fit infirmior, hostis vero potentior. Sed respondebit hic fortassis S. Regia Vestra Maiestas [*f. 1015*] non posse se, salvis foederibus et pactis, ante redditum nuntii, de animo Moschi erga Livonienses explorando allegati, bellum ei indicere. Quodsi tantisper S. Regia Vestra Maiestas auxilia distulerit, actum erit de Livonia. Res ipsa indicat, quid ei sit animi. Studiose hoc enim agit, ut detentione nuntii S. Regiam Vestram Maiestatem ab armis interea sumendis retrahat et quasi in anicipiti libra haerentem contineat. Nihil autem minus S. Regia Vestra Maiestas sibi de hoste eo, occupatis ab illo tot iam castris, persuadeat, quam pacem vel ablatorum restitutionem, ut taceam, quanti apud eum fiant foedera et pacta. Quam ob rem ne S. Regia Vestra Maiestas quid negligat, maturato opus est, ne si rebus maxima celeritate indigentibus nuntii praestolatione moram concederet, ubi ipsa ad arma conclamare voluerit, Livonia Moschum iam dominantem sibi deploret. Maiestati autem Vestrae Regiae de incendio, quod [*f. 1016*] in alieno pariete minore cum difficultate delere potuisse, a suo arcere vel restinguere valde periculosus multoque difficilior illi labor, cum magna etiam ignominia coniunctus, detur.

Scripsi de his ad S. Regiam Vestram Maiestatem ad diem huius mensis 25 pauca quaedam, copiosius autem ad Illustrum Dominum Ducem in Olika, Palatinum Vilnensem³⁾, fratrem meum charissimum. Qui cum S. Regiae Vestrae Maiestati nihil horum relatus sit, maiorem in modum peto, ut meo fideli hortatui, si ita ei videbitur, clementem locum faciat. Ante omnia autem Regni Poloniae ordines ab arduo hoc magnique momenti negotio ne excludat, non quod de viribus Magni Lituaniae Ducatus dubitem, sed quod rebus eo in statu positis contra hostem tam potentem non armare satis instructamque se reddere S. Regia Vestra Maiestas potest. Neque de tuenda Livonia tantum consilium capiendum est, sed eo quoque dirigendae cogitationes, ut S. Regia Maiestas Vestra terras a Magno Lituaniae Ducatu avulsas magna cum laude recuperare possit. Itaque quam citissime [*f. 1017*] S. Regia Maiestas [Vestra] instet urgeatque, ut inter Regni et Ducatus ordines consociatio et coniunctio ad hanc expeditionem contra Moschum stabiiliatur coniunctisque in hostem viribus eatur.

Quod si S. Regia Vestra Maiestas externo quoque milite uti volet, tametsi non est ignara maioribus illos stipendiis, quam S. Regia Vestra Maiestas suis numerare consuevit, militare, tamen si S. Regia Vestra Maiestas iusserit, agam quam potero minore cum aliquot, contentosque fore spero eo, quod Imperator⁴⁾ et S. Romani Imperii Principes in salarium illis dant. Sed penuriam commeatus illi nullo modo ferre possunt. In arbitrio itaque S. Regiae Vestrae Maiestatis erit de his quoque constitueret.

Dum haec scribuntur, afferuntur ad me literae a Serenissimo Daniae Rege⁵⁾, fratreque illius Serenitatis germano, Domino Magno Holsatiae Duce, in quibus Illustritas Sua scribit se cum septem navibus et duobus militum signis, praesidio satis firmo in navibus relicto, in littus Livoniae descendisse et pro Osiliensi Episcopo et Domino, [*f. 1018*] consentientibus totius eius episcopatus subditis, receptum et approbatum esse⁶⁾. Magnam quoque Curoniae partem Illustritatem Suam accepturam esse vulgari fama fertur. Fixit sedem in castro Arinsburgo⁷⁾. Habetque Illustritas Sua promis-

siones, ut aiunt, amplissimas a fratre suo, Daniae Rege, ac plura ab eodem etiam auxilia Livoniensibus accessura. Haec cum sic nunc se habeant, sua-deo moneoque pro fide mea, si quid unquam fidelius consului, ne S. Regia Vestra Maiestas auxilia sua procrastinet vel longius differat, sed singula bene secum expendat, de quibus uberius ad Illustrem, ut dixi, in Olika Ducem perscripsi. Intelligo eundem Dominum Holsatiae Ducem scripsisse ad S. Regiam Vestram Maiestatem atque adventum illi suum in terras Livoniae nuntiasse. Itaque S. Regiae Vestrae Maiestatis erit, ut pro regia prudentia dextre, concinne, apposite et caute illi, uti novit et minime facturam dubito, respondeat submoneatque illum amanter, ut cum membrum nunc terrarum Livoniae sit, cum Reverendissimo Archiepiscopo Rigensi⁸⁾ eiusque Coadiutore⁹⁾ et [f. 1019] Magnifico Domino Magistro¹⁰⁾ vires suas coniungat, proque communi provinciae illius salute de hoste profligando recuperandisque ablatis animum adiiciat. Velle enim S. Regiam Vestram Maiestatem pro iure et debito protectionis (siquidem totam eam provinciam in clientelam suam recepisset) id quoque praestare, quod pactis se facturam pollicita esset. Simili quoque adhortatione et de ferendo prope-diem auxilio pollicitatione S. Regia Vestra Maiestas uti posset ad Reverendissimum Dominum Archiepiscopum illiusque Coadiutorem et Magnificum Dominum Magistrum. Sed celeritate hic opus est, ne mora (quod absit), aut aliunde scrupulus aliquis summae rei iniiciatur.

Ceterum quod S. Regia Vestra Maiestas mihi de aere in mutuum illi comparando mandat et per praedictum Dominum Palatinum thelonia cum aliis ex Cawna usque ad fines Ducatus mei in cautionem offert, agnosco me non hoc tantum, sed ex officio vasalli Principis maiora etiam S. Regiae Vestrae Maiestati debere. Meae quidem [f. 1020] res in eam angustiam redactae sunt, ut pro hac vice ipse quoque caream aere. Etsi enim subsidii aliquid Livoniensibus misi, praestitum tamen hoc illis est maxima ex parte in frumento, victualibus, commeatu rebusque ad armamenta spectantibus. Quod si voluntatem S. Regiae Vestrae Maiestatis praescivissem, libenter quicquid eius pecuniae fuit, quod numeratum illis est, S. Regiae Vestrae Maiestati multo libentius mutuassem. Nullia^{a)} tamen parcens diligentiae in conquirenda pro S. Regia Vestra Maiestate pecunia, meam operam, quam potero, navabo maximam, sed commodissime meo iudicio S. Regia Vestra Maiestas voti compos fieri posset, si cum negotiatoribus de mutuatione tali, vel apud ordines in Polonia ecclesiasticos, qui prae aliis opulentiores esse feruntur, ageret. Quam ad rem Regni Poloniae statuum cum Lituania coniunctio non parvum momentum allatura est. Omnino enim mihi per-suadeo non modo multa illos posse, sed ex subiectionis debito etiam promptissimos in omnibus S. Regiae Vestrae Maiestati futuros ac facile de nervo aliquo belli [f. 1021] insigni modum rationemque inventuros esse. Quicquid autem ego confecero, ad S. Regiam Vestram Maiestatem citis itineribus perscribam.

Postremo quod S. Regia Vestra Maiestas consilium quoque meum expedit, an eundem Dominum Palatinum ad Illustres Pomeraniae duces, Dominum Barnimum, deinde quoque ad juniores pie defuncti Ducis Philippri filios, mittere conveniat, ut apud Dominum Barnimum legatione perfunctus, apud alias nomine S. Regiae Vestrae Maiestatis in primis orationem habeat condolentem obitum parentis illorum, ac deinde de mutuo verba faciat, utrumque hoc mihi probatur, neque usque adeo sumptus, etiamsi nihil conficiatur, magni sunt faciendi, cum in minoribus etiam interdum impendantur. Tametsi quod mutui negotium attinet, aetas Principum illorum adhuc tractatibus impar est, tamen cum praecipuis illorum

consiliariis et vicesgerentibus commode ea de re agi posset. Itaque si S. Regia Vestra Maiestas praeesse ei [f. 1022] legationi Dominum Palatinum volet, rectissime fecerit, si inter cetera literas quoque fidei ad fratres germanos, Baldazarum et Henningum de Valde nuncupatos, tanquam primarios in gubernatione scriptas, ad illum miserit. Quod si spes in mutuum consequendi aliquid affulserit et quaestio de cautione hypothecaria incidet, dixi Domino Palatino me in gratiam S. Regiae Vestrae Maiestatis facile eam ad rem modum et rationem inventurum esse, quo contenti sint futuri. Opus autem quoque esset instructione aliqua eidem Domino Palatino, quam etsi S. Regia Vestra Maiestas prudentius me novit, ipse etiam Dominus Palatinus, uti in aliis, ita in his quoque informatore aut doctore aliquo minime opus habet. Tamen inter cetera instructionis capita, ad persuadendum adiumenti aliquid afferre posset arcta necessitudo, paternus S. Regiae Vestrae Maiestatis erga Principes illos amor, et quod vasalli ex parte aliqua Maiestatis Vestrae essent, tum quod hoc officii genus non Maiestati tantum Vestrae, sed christianis et sociis [f. 1023] populis praestarent. Qui, ubi casus se offerret, in meliorem statum restituti cum S. Regia Vestra Maiestate vicissim illis gratificari vel in maioribus possent. Esse praeterea ex re quoque ipsorum non minus quam finitimarum, ut Moschus reprimatur, ne si in Livoniae dominum evaderet, ipsorum aeque ac aliae maritimae provinciae periclitarentur. Et quae ad horum omnium amplificationem magis ornata et apposite dici possent. In quo, ut dixi, ingenium Domini Palatini et multorum annorum longa exercitatio, ipsum etiam Dei et naturae donum in illo, omnia haec atque alia praescripta facile superabit. Sed clam aliis haberi legationem hanc atque ita etiam in fidei literis scribi oportet, quod praefectus esset Dominus Palatinus legationi huic, ut secreto apud Principes praedictos vel illorum consiliarios illa perfungeretur.

Atque haec habui, quae S. Regiae Vestrae Maiestati ad postulata illius pro tenuitate mea [f. 1024] communicanda rescribendaque erant, salvo tamen in omnibus S. Regiae Vestrae Maiestatis et consiliariorum suorum iudicio et sapientiore et prudentiore, siquidem non doctoris partes erga S. Regiam Vestram Maiestatem, cui longe inferior sum, mihi sumo, sed pro fide mea haec scribo. Iterumque atque iterum fideliter hortor moneoque, ut S. Regia Vestra Maiestas in omnem eventum, sicut consuevit, invigilet ac singula bene examinet, idque statuat, quod sibi ex dignitate et re ac honorificum esse, afflictis vero salutare duxerit. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

- | | |
|---|---|
| a) in ms. nullae | 7) Arensburg. |
| 1) <i>Gregorius Chodkiewicz, cast. Trocensis inde a 16.IX.1559.</i> | 8) <i>Gulielmus, marchio Brandenburgensis.</i> |
| 2) <i>Ioannes IV Basilides.</i> | 9) <i>Christophorus, dux Megapolensis.</i> |
| 3) <i>Nicolaus Radziwill «Niger».</i> | 10) <i>Gottardus Kettler, magister Livonie.</i> |
| 4) <i>Ferdinandus I.</i> | |
| 5) <i>Fridericus II.</i> | |
| 6) <i>ep. Ioannes a Münchhausen († 1560) vendidit insulam Osiliam Friderico II regi Daniae, qui fratrem suum Magnum, ducem Holsiae, episcopum Osiliensem nominavit.</i> | |

N. 5064.

Albertus dux in Prussia

S.l., 30.IV.1560.

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*iterum pro marscalco provinciali Livoniensi [Caspare a Münster] intercedit et
rogat, ut pro eo auctoritatem regiam interponere dignetur, «ut huius viri
tandem ratio honorifica habeatur atque in eum locum, quem honeste
citra honoris sui laesionem tueri poterit, reponatur».*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1024-1027.

N. 5065.

S.l., [30.IV.1560].

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill «Nigro» et, mutatis mutandis, palatino Trocensi [Nicolao
Radziwill «Rufo»] et R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski]
commendat negotium marscalci provincialis Livoniensis [Casparis a Mün-
ster], ab adversariis suis adhuc oppresso et vexato.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1748.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1046-1048.

N. 5066.

Albertus dux in Prussia

S.l., 1.V.1560.

Petro Grajewski

*Antonium Bogner, subditum suum, commendat et rogat, ut ei silvam quan-
dam, Ducatui suo conterminam, «ad elaboranda ligna, quae vocant
klapholcz et wagenschos, non incommodam», certo annuo pretio conce-
dat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1048-1049.

N. 5067.

S.l., 1.V.1560.

Albertus dux in Prussia

Raphaeli Leszczyński, capitaneo Radziejoviensi,

*summam 16 millium talerorum, sibi ab eo promissam, sibi ab eo promissam,
sibi mutuo dari petit, pro qua in cautionem hypothecariam praefecturam
aliquam suam in Livonia vel Lithuania, Ducatui suo finitimam, vel
etiam, «si aliter fieri nequeat», in Ducatu suo sitam, ei concedere cupit
ea condicione, ut capitaneum suum in ea agat et tantum pecuniae ex redi-
tibus suis sibi annuatim numeret, quantum ad solutionem census annui
conventum erit.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, NN. 1747, 1758.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1049-1051.

N. 5068.

S.l., 2.V.1560.

Albertus dux in Prussia

palatino Cracoviensi [Stanislao Tęczyński]

Horatium Curionem, in aula sua diutius versatum, ad eum redeuntem, commendat.

(Schedula: amicitiam suam et benevolentiam filio eius [Ioanni Baptistae] offert).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1051-1053.

N. 5069.

S.l., 3.V.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

Philippum Tesmer, subditum regis et «heredem in Bucholcz», quem et regi Hispaniarum [Philippo II] et sibi fidelia servitia praestitisse scribit, commendat et rogat, ut in numerum stipatorum suorum eum recipiat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1052-1054.

N. 5070.

S.l., 3.V.1560.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarło, magistro curiae reginae Catharinae,

pro Philippo Tesmer, herede in Buchholtz, in numerum stipatorum regis («drabanten») recipi cupiente, intercedit et rogat, ut eum regi commendet.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 431v-432.

N. 5071.

S.l., 6.V.1560.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwill «Nigro» et, mutatis mutandis, Ioanni Dulski

Rheinholdum Crocau, capitaneum suum in Holland, Vilnam mittit et rogat, ut ei nomine suo quaedam referenti plenam fidem habeat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 1055.

N. 5072.

S.l., 11.V.1560.

*Albertus dux in Prussia
duci Suffolciae*

pro litteris mense Martio a se datis et rerum omnium in Anglia statu sibi communicato gratias agit; litteras patentes mittit, quas nauclero pannos pro vestiendis servitoribus sibi advecturo tradi petit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1058-1060.

N. 5073.

Lötzen, 13.V.1560.

*Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim*

binas eius litteras se accepisse nuntiat et ex eis dolenter cognovisse reginam adversa valetudine laborare, ex inclusa tamen schedula laeto animo intellexisse aegritudinem hanc nonnihil mitigatam esse; gratias agit, quod de negotio suo, ab archiduce Ferdinando promovendo, cum regina collocutus sit; de arce Schwanenburg in Livonia a rege expugnata gaudet; scribit iucundum sibi fuisse auditu capitaneum quendam Mauretanum in Hispania religionem christianam amplexum esse; contentum se dicit, quod nova de infirmitate regis Galliae et de lepra illic saeviente incerta esse.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 432v-435v.

An Erhart von Kunheim, den 13 May 60 etc.

Wir haben deine 2 schreiben, das eine den 19 Martii, das ander 28 Aprilis datirt, gestrigs [f. 433] tages empfangen, und weil wir stracks nach empfahung derselben briefe ferner verreiset und unsern zuge wegen unser haushaltung in der wilnuss umbher nemen mussen, heute erst erbrochen. Daraus allen inhalt, sonderlichen aber mit betrubtem hertzen und treulichen, dinstlichen, billichen, underthenigen mitleiden ko.mt., unser g.frauen¹⁾, krenklichen zustandt und schwächeit, doch herwiderumb aus eingelegetem zetl mit freuden und frolocken, das ire ko.mt. das feber nicht wie vor so hart anficht, sonder sich etwas gelindert hat, verstanden und angemerckt. Wollen fur ire ko.mt. mit unserm fleissigen innigen gebeth gegen Gott dem allmechtigen, wie wir allezeit bisher gethan, umb irer ko.mt. sampt allen der irigen langes leben und gesundtheit embsiglich und treulich zu bitten nicht nachlassen. Zweifeln nicht, der [f. 433v] allmechtige Gott werde unser gebeth erhoren, irer mt. und uns allen, was uns zu sehl und leib nutzlich sein mag, gnedigen geben und verleihen, auch allgeireit binnen ankonft deines schreibens irer mt. an leibgesundheit sterck und krefte verlihen haben.

Und thun uns deines schriftlichen ersuchens, sonderlich das du mit irer mt. unsernthalben wegen des handels, so durch den ertzherzogen²⁾ gefordert solle werden, allerley underredung gepflogen, auch fur die ubersendung und vermeldung der zeitung und angewandten fleises in allen gna- den, zuvoraus aber gegen der ko.mt., das sich dieselbe mit so gnediger ant-

wort vernehmen und an den ertzherzogen mit eygner koniglicher handt zu schreiben nicht befuhlen haben lassen, ins allerunderthenigste (welchs du auch irer mt. unsernt- [f. 434] wegen neben geburlichem underthenigen wunschen und dinstlichen erbieten zu vermelden) bedancken, zu Gott hoffendt und nicht zweifelende, seine allmechtigkeit zu solchem unserm handel gnade und segen geben und verleihen werden, damit uf irer mt. schreiben und durch des ertzherzogen furdernus etwas fruchtbars unsernthalben ausgerichtet und gute trostliche antwort, die wir gewarten, ervolgen möge.

Wess du auch, das nichts sonderlichs oder neues mit Eyfflandt verhanden, allein das die ko.mt. zu Poln etc. uff begern des cum titulo unsers geliebten bruders³⁾ Schwanenburgk eingenommen und besetzt, vermeldest, seint wir erfreuter und hören lieber, das solche und dergleichen feste heusser cristlichen hern und potentaten als dem unchristen, dem Muscowitzter⁴⁾, oder andern dergleichen feinden underthenig gemacht oder übergeben werden sollen.

[f. 434v] Das es mit den eyffländischen und muscowittrischen gesanthen stille, muss man es Gott damit walten lassen. Es sieht uns aber was betrüglich an, versehen uns doch, die ko.mt. mit iren hochverständigen rethen werden sich irem hohen koniglichen verstande nach allso zu verhalten und den dingern nachzutrachten wissen, damit dem feinde, dem Muscowitzter, sein listigkeit gehindert und der zugel nicht gar zu lange gelassen werde.

Das ein heuptman aus Marenlandt⁵⁾ sich zu ko.w. zu Spanien⁶⁾ geschlagen und ein crist zu werden sich unternohmen, hören wir gerne, wünschen auch darzu Gottes gnade und segen, auch das derselbe heuptman in solchem furnemen und rechtem cristlichem glauben zu Gottes lob und ehren fruchtbarlich zunemen und der ko.w. wider iren gegentheil zu sigen nutzlich, furderlich und retlich sein und dienen möge.

Was anlangende ko.w. aus Frankreich⁷⁾, [f. 435] das sich mit derselben krankheit und zeitung das widerspil ereuget, und von der zeitung wegen des aussatzes am koniglichen hofe nichts gehort, seint wir erfreuet. Wünschen es nichts sey, und weil die uneinigkeit der religionssachen daselbst noch furtgeth, ko.w. und derselben gantzes konigreich mit dem Evangelion und reinen cristlicher lehre begaben, erleuchten und von allem bosen zeitlichen und ewigen aussatz bewahren, dem teufel und seinem betrug wehren und steuern.

Auch wegen der andern zeitung, so du uns zuschreibest, und wie es mit dem Turken⁸⁾, Engländern, hertzog Adolphen⁹⁾ und sonstigen gelegenheit hat, es alles damit nach seinem gotlichen willen und wolgefallen zu steurung des besten und furderung des guten wenden und machen wolle.

Und wolten dir diss uf deine 2 schreiben, mit derer [f. 435v] ubersendung du uns ein g[rosse]s gefallen gethan, zur gnedigen antwort nicht pergen, gnedigist begerende, du wollest uns jederzeit, wie es mit irer ko.mt. sich gebessert, durch deine schriften, auch wes du uf dissmal, wie du selbst meldest, eil halben nicht thun können, furderlich zu berichten nicht unterlassen. Das seint wir etc. Datum Letzen.

Commissio Principis propria

Idem audivit legere

L. Gögicz Maior

1) Catharina.

6) Philippus II.

2) Ferdinandus.

7) Franciscus II († 5.XII.1560).

3) Gulielmus, archiepiscopus Rigensis.

8) Solimanus II.

4) Ioannes IV Basilides.

9) Adolfs dux Holsatiae.

5) Mauretania.

N. 5074.

S.l., 20.V.1560.

Albertus dux in Prussia
Vincentio Ruszkowski, stipatori regio,
pro servitorem suum Hieronymum Einwalt equum mittit et rogat, ut eundem
equum a servitore suo recipiat et debita reverentia nomine suo regi tradat;
petit etiam, ut regem promissorum sibi duorum valachorum admoneat.
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 432-432v.

N. 5075.

S.l., 31.V.1560.

Albertus dux in Prussia
Nicolao Radziwill «Nigro» et, mutatis mutandis, R.P. vicecancellario [Phi-
lippo Padniewski] et Petro Myszkowski
pro subdito suo Thoma Koss, qui a debitore suo, Sigismundo Wolski, debitam
sibi pecuniam consequi non potest.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1055-1057.

N. 5076.

S.l., 1.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
iterum pro subdito suo Thoma Koss, qui a debitore suo Sigismundo Wolski,
R.P. ensifero, debitam sibi pecuniam recuperare non potest et propterea
ipse creditoribus suis satisfacere nequit.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1060-1062.

N. 5077.

S.l., 1.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
pro scholae sua Regiomontanae confirmatione gratias agit; capitaneum Hol-
landiensem, de quibusdam adiiciendis in eadem confirmatione tractatu-
rum, mittit et petit, ut eum audiat et plenam ei fidem habeat.
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1066-1067.

Regi Poloniae, 1 Iunii.

Creditivae in imetranda confirmatione scholae.

Serenissime Rex etc.

Quandoquidem S. Regia Vestra Maiestas se in edenda scholae meae
Regiomontanae confirmatione Regem et benignissimum et clementissi-

mum praebere dignata est, summas illi atque eas, quas debo, maximas ago gratias, datus operam, ut regiam hanc in me meosque liberalitatem quovis obsequii genere compensem. Quia vero in eadem confirmatione quaedam ad dignitatem Regiae Maeistatis Vestrae et scholae meae necessitatem pertinentia adiicienda esse videbantur, denuo ad S. Regiam Vestram Maiestatem Capitaneum meum in Hollandt¹⁾ mittendum esse censi. Eum ut S. Regia Vestra Maiestas clementer audiat plenamque verbis illius, non secus ac mihi ipsi, fidem habeat, Regemque in eo clementissimum se praebat, peto. Erit hoc ad S. Regiae Vestrae Maiestatis immortalem nominis celebritatem, mihi vero et quovis tempore existenti scholae [f. 1067] meae senatui rem S. Regia Vestra Maiestas factura est perpetuis obsequiis, fide, studio et diligentia compensandam. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

1) *Reinholdus Krockau.*

N. 5078.

S.l., 1.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Skaszewski, capitaneo Jurborgensi et Bothocensi,

Lucam Hubner, archiepiscopi Rigensis Gulielmi internuntium, legatione apud se perfunctum et in Livoniam ad principem suum per praefeturam eius redeuntem, commendat et rogat, ut ei deductores quosdam securitatis causa adiungat.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 55, f. 1063.

N. 5079.

S.l., 1.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Stanislao Skaszewski, capitaneo Jurborgensi et Bothocensi,

equum, ex gregibus suis Turcicis natum, favoris sui erga eum testem, mittit.

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1749.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1063-1064.

N. 5080.

S.l., 1.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Paulo Stempowski, secretario regio,

nuntiat se precibus eius adductum et sollicitante capitaneo suo Hollandiensi [Reinholdo Krockau] fratri eius, in Academia Regionomontana studiis litterarum operam daturo, annum stipendium concessisse et senatui Academiae mandata dedisse, ut idem frater eius inter alumnos reciparetur.

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1762.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1064-1065.

N. 5081.

S.l., 1.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Feigel

*ex litteris eius, ad secretarium suum Balthasarem Gans datis, se intellexisse
nuntiat, quid ad eundem secretarium suum de negotio argenti et cupri
emendi scripsit; ad futuram eius ad regem Vilnam profectionem et per
ditiones suas transitum hoc negotium tractandum remittit.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 435v-436.

N. 5082.

S.l., 1.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

*Salomoni Kanitz, Christophori ducis Megapolensis et coadiutoris Rigensis ser-
vitori,
rogat, ut dominum suum, coadiutorem Rigensem, admoneat, ne consilia cum
quibusdam malevolis ineat, quae fratri suo Gulielmo, archiepiscopo
Rigensi, et toti archiepiscopatu*m* dampna esse possint.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 436v-437v.

N. 5083.

S.l., 2.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

R.P. vicecancellario [Philippo Padniewski]

*Albertum Polman, servitorem suum, in causa Valentini Stolle, quae coram tri-
bunali regio vertitur, missum, commendat et rogat, ut ei consilio et auxi-
lio adesse velit, «quo hereditas, de iure ad servitorem nostrum miserum
devoluta, ipsi maneat deferaturque».*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1067-1069.

N. 5084.

S.l., 3.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*pro Michaele Fridwaldt, servitore suo, qui se infamiae nota ab advocate castri
Marienburgensis [Ioanne Kostka] aspergi et falsi criminis accusari queri-
tur, intercedit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1072-1073.

N. 5085.

S.l., 3.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
pro Andrea Hermann et Fabiano Geschel, subditis suis, civibus Neidenburgen-

sibus, qui «de iniuria cuiusdam Iudaei, thelonarii in Kurowa Masoviae, Herczig nominati» queruntur («Cum enim praeterito anno circa festum Pentecostes ad mercatum Lublinensem factores suos cum curru panno onusto misissent, contigit ipsos per dies festos Kuroviae commorari. Ibi dictus Iudeus ipsos cum curru et equis arrestavit, nec prius dimittere voluit, quam illi viginti taleros supra usitatum vectigal numerarent, quod diceret ipsos alia via, videlicet ad Cazimirz proficisci debuisse»).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1074-1075.

N. 5086.

S.l., 3.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Valentino Stolle, servitore suo, causam de hereditate defunctae sororis suaee coram tribunali regio habente, ad quam rem tractandam Albertus Polman, subditus suus, ad idem tribunal mittitur, intercedit et petit, ut «afflictissimi hominis conditionem clementer considerare eamque sibi... habere commendatissimam» dignetur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1076-1077.

N. 5087.

S.l., 3.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
R.P. vicecancellario [Philippe Padniewski]

Michaelem Fridwaldt, servitorem suum, negotium cum advocato castri Marienburgensis [Ioanne Kostka] habentem, commendat et rogat, ut servitorem suum, «ex odio, mera invidia et vindictae cupiditate advocati accusatum», eiusque causam cordi habeat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1069-1070.

N. 5088.

S.l., 3.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
R.P. vicecancellario [Philippe Padniewski]

Rheinholdum Crocau, capitaneum Hollandiensem, commendat et rogat, ut negotia eius, causam scil. immunitatis a vectigalibus et litem de obtinenda hereditate paterna, apud regem promoveat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1071-1072.

N. 5089.

S.l., 3.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,
nuntiat se a servitoribus suis, Petro Glogau et Alberto Polman, Vilna reversis,
intellexisse, quanto studio et diligentia ipse causam subditi et servitoris
sui, Valentini Stolle, istic promovendam curaverit, eandemque diligentiam
eius probat; supradictum servitorem suum, Albertum Polman, iterum eius
rei causa Vilnam proficiscentem, commendat.
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 437v-439.

N. 5090.

S.l., 5.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,
consiliarium suum Ioannem Schnell, in negotio subditi sui Thomae Koss,
causam cum Sigismundo Wolski de debita sibi pecunia habentis, Vilnam
ad tribunal regium missum, commendat et rogat, ut negotium hoc subditi
sui pro viribus promovere studeat (cfr. N. 5076).
(Germanice)
Cfr. El. XLIII, N. 217.
Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 439-440.

N. 5091.

S.l., 5.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim
negotium subditi sui Thomae Koss, causam de debita sibi pecunia cum Sigis-
mundo Wolski habentis, ad quod promovendum Ioannem Schnell, consili-
arium suum, Vilnam mittit, commendat (cfr. N. praeced.).
(Schedula: mittit litteras Sigismundi Wolski, manu eius subscriptas, debi-
*tum eiusdem erga subditum suum testificantes).
(Germanice)
Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 440-441.*

N. 5092.

S.l., 8.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
Stanislao Skaszewski, capitaneo Jurborgensi et Bothocensi,
rogat, ut duobus consiliariis suis, citis itineribus per praefecturam eius in
Livonian ad fratrem suum, archiepiscopum Rigensem, proficiscentibus,
ductorem viae Rigam versus dare velit; idem petit pro duobus veredariis
suis.
(Latine)
Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1078-1079.

N. 5093.

S.l., 10.VI.1560.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
iterum pro Valentino Stollio (Stolle).*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1082-1084.

N. 5094.

S.l., 10.VI.1560.

*Albertus dux in Prussia
episcopo Plocensi [Andreae Noskowski]
litteras eius, quibus suffraganeum suum [Iacobum Bieliński] commendabat,
ut opera et arte chirurgi sui in propellendo oculorum morbo uti posset, se
accepisse nuntiat et petitioni eius libenter satisfacturum fuisse, si litterae
eius maturius ad se pervenissent; arbitrio eius relinquit diem conventus
commissariorum regundis finibus distinati statuere.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1744.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1079-1081.

N. 5095.

S.l., 15.VI.1560.

*Albertus dux in Prussia
palatinae Lanciciensi [Elisabeth de Sieprc Brudzewska]
de morte filii ei condolet et excusationem eius, quod propter luctum coram
iudicio Hohensteinensi ipsa comparere non possit, admittit et sperat eam
per procuratorem competentem causam illam [contra Albertum Finck vel
Fincka de bonis Mielno] coram iudicio egisse.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1752.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1085-1086.

N. 5096.

S.l., 15.VI.1560.

*Albertus dux in Prussia
castellanae Covalensi [Ursulae de Sieprc Lwowska]
propositum eius in negotio bonorum Mielno coram iudicio Hohensteinensi
comparendi probat, supervacaneum tamen sibi videri nuntiat commissa-
rium aliquem peculiarem ad iudicium illud deputare, cum iudices illos ex
iusto et aequo omnia ponderaturos esse se minime dubitare; si sententia
illorum ei minus placeret, liberum ei futurum ad se appellare.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1755.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1086-1087.

N. 5097.

S.l., 16.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
palatino Masoviae [Stanislaw Ławski] et, mutatis mutandis, capitaneo Lom-
zensi [Hieronymo Modliszewski]
pro Ioanne Borcke, subdito suo, intercedit et rogat, ut ei in obtinenda heredi-
tate in oppido Colna, quae ad coniugem eius ex morte fratris, Petri Ambro-
sii, devoluta est, adiumento sit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1087-1088.

N. 5098.

S.l., 17.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
pro nobili Ioanne Tarusza (Tarussa), ut ei litteras salvi conductus dare digne-
tur, quo innocentiam suam «sufficientibus probationibus» demonstrare
possit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 1088-1089.

N. 5099.

S.l., 17.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
Ioanni Dulski, aulico regio,
pro Ioanne Tarusza (Tarussa), causam habente «ratione fratris sui a servito-
ribus illius trucidati», intercedit et rogat, ut litteras salvi conductus ei a
rege impetrat, quo innocentiam suam demonstrare possit.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1089-1090.

N. 5100.

S.l., 17.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
Nicolao Trzebuchowski, cubiculi regii praefecto,
pro Ioanne Tarusza, cuius famuli «fatali quodam casu» fratrem eius trucida-
runt (cfr. N. praeced.).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1090-1091.

N. 5101.

S.l., 18.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

*Bernardo Pohibel, secretario Gabrielis Tarlo,
de Nicolao John, suo olim cellario («kellerknecht»), qui 600 talerorum sum-
mam, ad emenda vina Cracoviae ei a Gabriele Tarlo nullo iussu suo com-
modatam, ad suum usum convertit.*

(Germanice)

Cfr. ELIII, N. 217, El. XLIV, N. 132.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 441-443.

N. 5102.

S.l., 18.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

*litteras eius, 10.VI. Vilnae datas, se accepisse nuntiat et ex eis intellexisse, quo-
modo capitaneus suus Hollandiensis, Reinholdus Krockau, mandata sua
exsecutus sit; cum tamen absente palatino Vilnensi [Nicolao Radziwill
«Nigro»] non omnia ex animi sententia confici potuerint, significat, si
capitaneus suus ante palatini adventum discedere deberet, se ei et Ioanni
Dulski instructionem capitaneo datam tradi iussisse et rogat, ut loco eius-
dem capitanei mandata sua exsequantur; pro litteris nuntiorum archi-
episcopi Rigensis [Gulielmi] sibi missis gratias agit; nuntiat etiam sibi
iucunda fuisse auditu, quae ipse (Kunheim) cancellario suo, Ioanni a
Kreytzen, scripserit; rogat, ut nova scitu digna crebro scribat; de gravi
reginae Catharinae aegritudine («am fieber, magenwehe und anderer
leibsschwachheit gekranket») vehementer dolet.*

(2 schedulae: 1. mittit litteras ad Ioannem Dulski scriptas; 2. de annuo
stipendio a terrarum Prussiae thesaurario [Ioanne Kostka] sibi nondum
numerato; de bobus ad sustentationem arcium suarum Memelensis et
Ragnetensis coemendis et litteris immunitatis a teloneo impetrandis).

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 450-453.

N. 5103.

S.l., 19.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill «Nigro» et, mutatis mutandis, R.P. vicecancellario [Phi-
lippo Padniewskij] et Ioanni Dulski
Ioannem Schnell, consiliarii suum, causam quandam coram tribunali regio
habentem, commendat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1094-1095.

N. 5104.

S.l., 19.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarto, magistro curiae reginae Catharinae,

Ioannem Schnell (Schnelle), consiliarium suum, ad aulam regiam se conseruentem, regi et eius consiliariis negotia quaedam sua propositurum, commendat et rogat, ut ei in eiusmodi negotiis expediendis consilio et auxilio adsit.

(*Germanice*)

Cfr. El. XLIII, NN. 219, 220.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 444v-445v.

N. 5105.

S.l., 19.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarto, magistro curiae reginae Catharinae,

de negotio Nicolai John, sui olim cellarii («unser gewesener kellerknecht»), qui nullo iussu suo ad emenda vina summam 600 talerorum Cracoviae ab eo mutuo accepit (cfr. N. 5101).

(*Germanice*)

Cfr. EL. XLIII, N. 217.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 443-444v.

N. 5106.

S.l., 23.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

de palatino Marienburgensi et abbatे Pelplinensi, iussa et mandata regia portantibus, in monasterium Olivense non admissis.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1095-1097.

Regi Poloniae, 23 Iunii.

Scribit Palatinum Marienburgensem¹⁾ cum mandatis regiis non intro missum esse in monasterium Olivense.

Serenissime Rex etc.

Relatum ad me est [f. 1096] Dominum Palatinum Marienburgensem cum Venerabili Abbatе Polplinensi²⁾ a S. Regia Vestra Maiestate pro commissario deputatum fuisse, ut in monasterio Olivensi mandata quaedam S. Regiae Vestrae Maiestatis exequeretur. Is cum iter eo suscepisset, iussa S. Regiae Vestrae Maiestatis cum collega suo expediturus, non modo non in monasterium intromissus, sed Gedanum quoque retrocedere coactos fuisse, cum enormi S. Regiae Vestrae Maiestatis et mandatorum illius vilipendio. Ita etiam, ut cum a moderno Abbatе Olivensi³⁾, necnon Domino Castellano Gedanensi⁴⁾ varia illis obtigissent, nisi prudentiore usi fuissent modestia

sibique sapienter temperassent, res in gravem aliquem exitum, quemadmodum fama est, devenisset. Quae cum in S. Regiae Vestrae Maiestatis dignitatis labefactionem non levem vergere atque ex his levibus initis tranquillitas terrarum S. Regiae Vestrae Maiestatis periclitari [f. 1097] posse videatur, non dubito, quin S. Regia Vestra Maiestas pro mandatorum suorum autoritate conservanda eam sit rationem inventura, ut illi, quos dicto S. Regiae Vestrae Maiestatis audientes esse convenit, officium suum faciant, neque iussi S. Regiae Vestrae Maiestatis vel spretis vel neglectis pro suo omnia imperio et placito agere licere sibi putent. Quod ideo S. Regiae Vestrae Maiestati significandum esse duxi, ut in tempore principiis male eventurae rei occurrat et dignitatis suaee integritatem conservet, nec mandata sua ludibrio ita haberri patiatur. Quod superest, S. Regiam Vestram Maiestatem feliciter valere exopto. Datum.

A[ndreas] M[untzer]

- 1) *Achatius Czema.* 3) *Casper Geschkau.*
2) *Stanislaus Źelistsawski, abbas Pelplinensis a.* 4) *Ioannes Kostka.*
1557-1563.

N. 5107.

S.l., 23.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,
de commissariis regiis, abbate Pelplinensi et palatino Marienburgensi, ad
monasterium Olivense regiis cum mandatis missis et male ibi exceptis
narrat et rogat, ut apud regem instet, ne mandata et iussa sua contemni
et diminui dignitatem permittat (cfr. N. praeced.).
Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 445v-447.

An Gabriel Terla, den 23 Junii 60.

Wir mögen euch in gnaden nicht bergen, das glaublichen an uns gelangt, wie das als die cum titulo apt zu Pelplin¹⁾ und der marienburgische woywode²⁾ uff ko.mt. zu Poln etc. commission sich gegen der Oliva begeben und den handel, darinne der itzige apt zur Oliva³⁾ dem von Loken⁴⁾ cedirt und die ko.mt. solche cession auch bestettigt, eine gelegenheit habe, verharren und ko.mt. bevelich habender commission nach ins werck setzen wolten, [f. 446] sich volgender handel zugetragen haben soll. Und soll gedachter marienburgische woywode niemants als seine beide sohne⁵⁾ und eigene diener mit 16 pferden und dreyen vom adel uf einem wagen ungewappent, alleine das des hern Zemen sohn Fabian zum schmuck und nicht zum ernst seinem jungen eine sturmhauben aufgesetzet, bey sich gehabt haben. Wie sie sich aber als ko. commissarien ansagen lassen, hat sich der apt zur Oliva verleugnen, und das er nicht anheimisch, anzeigen lassen. Und ob sich schon die commissarien uff ko.mt. hochgedacht briefe berufen, hat man sich doch nichts bewegen lassen wollen. Und sollen nach viler rede und widerrede kegen den apt, als der sich wider ko.mt. bevelich fri-vole erzeigt, protestirt und zurugk gegen Dantzigk begeben haben. Und soll folgendes tages fast frue Koska⁶⁾ mit 30 pferden von Marienburgk gen der Oliva kommen sein und 2 diener zu den hern commissarien geschickt, inen anzeigen lassen, wie er berichtet, das die commissarien mit einer grossen

versamlung und im harnisch ankommen sein solten, mit fernerm vermel-
den, das er ein protector des klosters von ko.mt. geordenet, und do der apt
jemants etwas schuldig, were er zu recht gnugsam gesessen. Ob man wol
solches durch den hern marienburgischen woywoden gnugsam und das
Koska ubel berichtet, abgeleinet, haben doch die hern commissarien abzie-
hen mussen. Dieweil dann diser handel weit syhet, und do die hern ko.
commissarien nit so bescheiden gewesen, allerley weiterung und zurrut-
tung hetten folgen mögen, [f. 447] haben wir nit unterlassen mögen, disfals
an hochgedachte ko.mt. zu schreiben.

Ist demnach an euch unser gnediges begern, ir wollet bey ko.mt. anhal-
ten und befurdern helfen, das sye die wege finden wolten, darob zu sehen,
ire ko.mt. ire ko. bevelich in acht gehabt, denselben nach gelebt haben und
irer ko.mt. dignitet zur schmelerung keinswegs etwas gedulden wollen, auf
das diejenigen, die sich also frevenlich wider irer mt. bevelich setzen, den
ernst zu spuren und besorgliche zerruttung durch dergleichen anfenge in
zeiten vorkommen werden. In deme that ir sowol als wir den pflichten, so
wir unserm hern schuldig, ein gnuge, dem gemeinen fride zuguth und uns
zu gnedigem gefallen. Des wir etc.

Relatio A[ndreae] Moncz[er]
C[aspar] Bloch[inger]

- | | |
|--|---|
| 1) Stanislaus Żelisławski, abbas Pelplinensis. | 5) Achatius Czema tres filios habuit: Christo-
phorum, Achatium et Fabianum. |
| 2) Achatius Czema. | 6) Ioannes Kosika, castellanus Gedanensis. |
| 3) Caspar Geschkau († 1584). | |
| 4) Nicolaus Loka († 1569). | |

N. 5108.

S.l., 24.VI.1560.

Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae

*de petulantia palatini Plocensis [Alexandri Itłowski] queritur, qui non curato
regio mandato in locis propter limitum incertitudinem controversis non
modo sementem fecit, sed etiam spreta inhibitione regis segetem demetere
audacter contendit.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1759.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1097-1100.

N. 5109.

S.l., 25.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

*Raphaeli Leszczyński, capitaneo Radziejoviensi,
pro summa octo milium talerorum sibi in mutuum oblata, et reliquis octo
milibus intra sex menses numerandis gratias agit, licet integrum sedecim
milium summam statim ad manum habere maluerit.*

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1747.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1100-1102.

N. 5110.

S.l., 26.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*pervestigationem hominum fugitivorum, in Ducatu suo latitantium, subditis
regiis se, ob rei novitatem, permittere non posse nuntiat, promittit tamen,
si subditi regis se doceant, «quoniam in loco seu praefectura existiment
delitescere homines suos», litteras ad praefectos eorum locorum dare, ut
secundum pacta extradantur.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1102-1103.

N. 5111.

S.l., 28.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

*Ioannem Schnell, consiliarium suum, negotium quoddam in propria causa
coram rege proponendum habentem, commendat et petit, ut eum clemen-
ter audire et regem se benignissimum ei exhibere velit.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1091-1092.

N. 5112.

S.l., 28.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

*Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,
nuntiat se Ioanni Dulski, aulico regio, et Erhardo a Kunheim, subdito suo,
mandasse, ut nomine suo ipsum salutent quaedamque ei referant, et
rogat, ut plenam eis fidem adhibeat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1092-1093.

N. 5113.

S.l., 28.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Ioanni Dulski, aulico regio,

*certioreum eum reddit se subdito suo, Erhardo a Kunheim, scripsisse, ut una
cum eo palatinum Vilnensem [Nicolaum Radziwill «Nigrum»] accedat et
ei nomine suo quaedam referat, et rogat, ne se in hoc difficilem praebeat.*

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1093-1094.

N. 5114.

Albertus dux in Prussia

S.l., 28.VI.1560.

*Gabrieli Tarto, magistro curiae reginae Catharinae,
se intercessione eius motum, quam pro Maximo Andreeae Czludewitz (Maxim
Andreowitz Czludewitz), cive Vilnensi, interposuerat, qui in teloneo suo
Labiensi aliquot merces occultavit et debitum vesticigal pro illis persolvere
noluit, nonnullas ex eiusmodi mercibus retentis ei restitui mandaturum
esse nuntiat et rogat, ut dictum civem admoneat et hortetur, ne in poste-
rum tale aliquid audeat.*

(Germanice)

Ostrpr. Fol., vol. 45, ff. 447v-448v.

N. 5115.

Albertus dux in Prussia

S.l., 28.VI.1560.

Petro Paulo Vergerio

*pro Davide Voit, theologiae doctore et eiusdem in Academia Regiomontana
professore, ratione quorundam sermonum, quos contra dignitatem ducum
Saxoniae habuit, delato.*

Ostrpr. Fol., vol. 55, ff. 1104-1106.

Petro Paulo Vergerio, 28 Iunii.

Pro Davide Voitt, t[heologiae] d[octore].

Reverende ac Eximie, Amice nobis singulariter dilekte.

Intelleximus Egregium Davidem Voitt, sacrae theologiae doctorem [f.
1105] et professorem eiusdem in Academia nostra Regiomontana, delatum
esse apud Reverendam Dominationem Vestram et fortassis quoque apud
Illustres Dominos Saxoniae Duces etc. sermonum quorundam nomine,
quos habuisse contra dignitatem eorundem Principum de capto Victorino
insimulatur. Nos, etsi virum eum et gravem et ab eiusmodi levitate plane
alienum esse perspeximus, nihilque tale, cum tamen multa cum illo, ante-
quam Witebergam proficisceretur, collocuti simus, ex eo audiverimus, sci-
scitati tamen sumus diligenter, an elapsus illi esset talis apud aliquem in
Ducatu nostro sermo, sed non modo nihil horum cognovimus, quin contra-
rium potius, atque ea ingenuitate in collaudandis dominis^a) suis heredita-
riis usum fuisse patuit, ut facere non potuerimus, quin boni illius viri f.
1106] innocentia moti has ad Reverendam Dominationem Vestram literas
daremus. Quibus et testimonium culpa vacanti perhiberemus et Reveren-
dam Dominationem quoque Vestram benigne rogatam haberemus, ut si
sinistrai quorundam delationis nota aliqua apud illam is doctor aspersus
est, ne delatoribus fidem habeat. Deinde quoque, si ad Dominorum Saxo-
niae Ducum aures pervenisse tale quiddam intellexerit, ne gravetur apud
Illustrates illarum doctoris illius innocentiam scripto suo asserere
famamque de illo sparsam vel motu proprio vel nostro testimonio uti fal-
sam fictitiamque diluere, ne vir bonus praeter omnem culpam indignatio-
nem Dominorum suorum aut malam gratiam incurrat. Qua in re ut nobis
Reverenda Dominatio Vestra factura est gratissimum, ita innocentiae doc-
toris recte et pie patrocinabitur. Datae.

a) *correctum ex: dominiis.*

A[ndreas] M[untzer]

N. 5116.

S.l., 28.VI.1560.

*Albertus dux in Prussia
castellano Trocensi [Gregorio Chodkiewicz]
pro parentibus Thomae Gedcantini, pastoris Szyrwintensis, qui per episcopi
Samogitiae Ioannis [Domanowski] mandatarium e domo et taberna in
oppido Wornie, supra quinquaginta annos (ab a. 1506 ad 1558) pacifice
possessa, expulsi sunt.
(Latine)*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1107-1111.

N. 5117.

S.l., 28.VI.1560.

*Albertus dux in Prussia
capitaneo Polangensi
litteras mandati regii, cuius vigore res omnes, quae in praefecturam Grobinensem ex Ducatu suo vel istinc in Ducatum suumvehentur, liberae a telonei vel vectigalis solutione esse debent, mittit et rogat, ut lectis eiusmodi litteris eas tabellario suo reddat, qui eas ad praefectum Grobinensem perferrat.
(Latine)*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1111-1112.

N. 5118.

S.l., 29.VI.1560.

*Albertus dux in Prussia
Sigismundo Augusto regi Poloniae
de novis litteris ad prohibendam Lubecensium et aliorum navigationem in
Moscoviam conscribendis.
(Schedula: de litteris ad regem Daniae de eiusdem navigationis negotio a
rege dandis).*

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1113-1115.

Regi Poloniae, 29 Iunii.

Literas edi petit ad prohibendam navigationem in Muscoviam.

Serenissime Rex etc.

Literas S. Regiae Vestrae Maiestatis ad prohibendam Lubecensium et aliorum navigationem in Moscoviam destinatam, per Magnificum Palatinum Marienburgensem¹⁾ mihi missas, accepi. Sed cum quedam in illis desiderari viderentur, propterea quod singulae naves peculiaribus literis opus habent, ne cum omnes in mari simul esse non possint, pro piraticis intercipiantur, communicato cum eodem Domino Palatino consilio, formulam conficiendi literarum aliam uteque conscripsimus. Quam idem Pala-

tinus ad S. Regiam Vestram Maiestatem, ut septenae iuxta eam scriberentur literae, missurum se esse recepit. Sed cum nullas ego adhuc receperim, duxi eandem formulam hisce S. Regiae Vestrae Maiestati denuo mitten-dam esse, ut edi literas tales quam primum iubeat. Sunt enim Gedani qui se suis sumptibus, permittente hoc saltem S. Regia Vestra Maiestate, naves instructuros et fortunae aleam ad prohibendam [f. 1114] navigationem hanc perniciosa[m] experturos pollicentur. Ut autem quam fieri poterit citissime scribi eas S. Regia Vestra Maiestas literas clementer curet, exposcit classis Lubecensis mari non ita pridem commissa, quae vela habere in Moschoviam omnino decrevit. Cui cum Serenissimus Daniae Rex²⁾ pro communi afflictissimae Livoniae salute in Regni sui partibus, nisi stipulata prius de non accedendo terras Moschi manu lata, transitum denegaturum esse feratur, rem necessariam S. Regia Vestra Maiestas fecerit, si in oceano quoque hunc Balthicum inspecturas naves emiserit, ut ita omni ex parte aditus ad Moschoviam navigaturis intercipiatur viresque hosti p[re]cidantur. Quod facturam esse S. Regiam Vestram Maiestatem omnino mihi persuadeo. Erit hoc tam ex ipsius S. Regiae Vestrae Maiestatis, quam vicinorum populorum commodo et bono. Datae.

A[ndreas] M[untzer]

[f. 1115] Cedula

Consultum quoque mihi videretur, si S. Regia Maiestas Vestra ad Serenissimum Daniae Regem literas daret, ut Serenitas Sua iis, quos ad prohibendum Lubecensibus transitum ordinabit, illud in mandatis det, ut illi communicato semper cum iis, qui S. Regiae Vestrae Maiestatis iussu in mari versabuntur, consilio, navigaturis in Moschoviam invigilent tesseramque navalem, uti in expeditionibus terrestribus fieri assolet, unam eandemque inter se clam habeant. Ea enim ratione conatus Lubecensium et aliorum eo rectius frangi posse videntur. Datum ut supra.

1) *Achatius Czema.*

2) *Fridericus II.*

N. 5119.

S.l., 29.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

episcopo Plocensi [Andreae Noskowski]

de palatini Plocensis [Alexandri Itowskij] audacia, qui posthabito recessu, ratione finium controversorum inter Masoviae et suum Prussiae Ducatum ab utriusque partis commissariis facto, in loco contentioso districtus sui «Pisch vel Johanspurg» magnam terrae partem aravit et conseminalavit, non curata capitanei istic sui dehortatione, queritur.

(Latine)

Cfr. El. XLI, N. 1759.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1115-1118.

N. 5120.

S.l., 30.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Sigismundo Augusto regi Poloniae

pro Wolfgango Nimptsch, demortui Casparis Lubner genero, in cuius causa ratione debiti cuiusdam cum uxore olim eiusdem Lubner, nunc autem Ioannis Spillen (Spiel), in iudicio Caunensi iam definitiva sententia lata est, intercedit et rogat, ut eam sententiam executioni mandari iubeat.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1118-1120.

N. 5121.

S.l., 30.VI.1560.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

litteras «de quibusdam navibus» («wegen ausrichtung etzlicher schiffe») ad regem scriptas mittit [cfr. N. 5118, de prohibenda navigatione in Moscoviam] et rogat, ut eas regi quam citissime tradat et in regia cancellaria efficiat, quod iuxta formulam, quam mittit, septenae sine mora scribantur litterae, quae sigillo munitae et a rege subscriptae sibi remittantur.

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 448v-449.

N. 5122.

S.l., 1.VII.1560.

Albertus dux in Prussia

Nicolao Radziwill, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,

pro Wolfgango Nimptsch (cfr. N. 5120.).

(Latine)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 1120-1122.

N. 5123.

S.l., 2.VII.1560.

Albertus dux in Prussia

Petro Oborski, capitaneo Birzensi,

litteras eius, 17.VI. Vilnae datas, sibi redditas esse nuntiat et tanta gratiarum actione pro benevolentia filio eius exhibita («den wir in der disciplin neben unserm lieben sohn halten») opus non fuisse existimat; pro equo misso gratias agit.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 449-450.

N. 5124.

S.l., 14.VII.1560.

Albertus dux in Prussia

*Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,
Achillem Scipionem, qui propter sua in reginam propensa deditaque studia et
servitia Vratislavienses nonnihil sibi abalienavit, ei commendat.*

(Germanice)

Cfr. El. XLIII, N. 219.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 453v-454v.

N. 5125.

S.l., 14.VII.1560.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

*litteras eius de statu rerum in Livonia et meliore reginae valetudine, necnon de
infirmitate reginulae Catharinae sibi narrantes, se accepisse nuntiat; pro
litteris reginae manu propria scriptis gratias agit; de aegritudine reginulae
Catharinae dolet; aulae suae concionatorem, magistrum Othmarum
Epplinum, ad regem et palatinum Vilnensem [Nicolaum Radziwill «Ni-
grum»] proficiscentem, commendat et rogat, ut ei auxilio suo adsit.*

(Germanice)

Cfr. El. XLIII, N. 221.

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 454v-456.

N. 5126.

S.l., 14.VII.1560.

Albertus dux in Prussia

*Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,
pro litteris gratias agit et se excusari petit, quod manu propria non scripsit;
rogat, ut de rerum statu in Livonia sibi scribat; de praedicatore aulae
suae, Othmaro Epplino, se ad Erhardum a Kunheim fusius scripsisse
nuntiat.*

(Germanice)

Cfr. El. XLIII, N. 221.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 456-456v.

N. 5127.

S.l., 5.VIII.1560.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

*rogat, ut litteras liberi telonei pro bobus ad sustentationem aulae suae, necnon
arcium Memel et Ragnetae necessariis, a rege impetrare nitatur.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 456v-458v.

N. 5128.

S.l., 12.VIII.1560.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

*binas litteras eius, 27.VII. et 1.VIII. datas, se accepisse nuntiat et censem tanta
gratiarum actione pro sui de infirmitate reginae doloris declaratione opus
non fuisse; meliorem valetudinem eidem reginae a Deo exoptat; de fune-
stis novis ex Livonia advenientibus dolet; pro communicatis secum novi-
tatiibus, praecipue pro litteris Tarbato ad archiepiscopi Rigensis [Guliel-
mi] secretarium allatis, gratias agit; rogat, ut porro etiam nova, praeser-
tim de Magno, duce Holsatiae, et magistro Ordinis Livoniensis [Gottardo
Kettler] sibi significare ne desistat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 458v-460.

N. 5129.

S.l., 12.VIII.1560.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarlo, magistro curiae reginae Catharinae,

*ad quinas litteras eius respondet: de negotio Thomae Koss cum debitore suo
Sigismundo Wolski; de causa sui olim cellarii [Nicolai John]; de valetu-
dine reginae; de discordia inter Ordinis Livoniensis magistrum et ducem
Magnum; de malis novis ex Livonia; de negotiis Achillis Scipionis et Bal-
thasaris Gans; de officiis concionatori suo, Othmaro Epplino, exhibitis;
de duobus filiis Gregorii Chodkiewicz una cum filio suo educandis etc.*

Cfr. El. XLIII, NN. 217, 218, 219, 220, 221.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 460v-467v.

An Gabrieln Terla, den 12 Augusti anno 60.

Edler und ernvester, besonder lieber.

Wir haben nuhmer von euch funf schreiben, nemlich das erst den 15
Julii, 2 am tage Jacobi, darnach eins den ersten und das letzt den 3ten
Augusti datirt, bekommen. Das wir euch nuhn mit eigner handt nicht
beantworten, begeren wir gantz gnedigen, ir wollet uns derwegen entschul-
digt haben, dann wir mit sovil gescheften beheuft, darob wir zu eigenem
handtschreiben nicht kommen konnen. Und haben anfenglichen ver-
merckt, wess ir uf unser beschehen suchen, bedes schriftlich und durch
unsern diener Hans Schnellen geschehen, in der schuldt – [f. 461] sachen,
damit der Sigmundt Wolski unserm underthanen Thomas Kossen verhaftet,
auch in andern hendeln, die gedachter unser diener sollicitiret, fur
fleiss, muhe und arbeit furgewendet. Thun wir uns desselben bedanken und
seint mit besonderen gnaden widderumb zu erkennen und abzunemen
gewogen.

Sovil den handel mit unserm kellerknecht betrifft, ist uns, sobalt wir
erfahren, das ir euch mit ime eingelassen, solchs nicht lieb zu hören gewest,
habt auch zu erachten, das in uns mit fugen umb die erlegung nicht zu
dringen. Weil aber gleichwol durch euren diener in Dantzig uf die weine
arrestamenta geschehen, und wie wir berichtet, daselbst gebreuchlich

gehalten werde, das alle gleubiger, so uf ein guth arrest legen, zugleich der [f. 461v] arrestirten guter geniessen, und einer fuer dem andern keinen vorzug hat. So sehen wir fur guth an, das ir nachmals durch euren bevelichhaber solch arrest prosequiren und verfolgen lisset, damit ir euer antheil, sovil euch von den arrestirten weinen oder dem gelde, so daraus gemacht, in eure gewalt bringen mochtet, uf das zu sehen, wess euch an eurer sommen noch mangelt. Wann dann solchs geschehen und ir je eure volkmene bezalung nicht erlangen kont, so wollen wir dannest uf mittel trachten, das ir nicht am schaden bleibt. Und ob wir wol solchs zu thun nicht schuldig, wollen wirs doch aus lauter gnaden, damit wir euer peson gewogen, und keiner gerechtigkeit thun, darumb wollet ir den handel zu Dantzigk, ehe die weine vollendt verrukt, [f. 462] fordern, euch aber gegen dem kellerknecht diser unser erklering in wenigsten nicht vermerken lassen.

Wir schicken euch des kellerknechts schreiben hiemit wider zu, welches wir in seinem wert beruhnen lassen. Und achtns dafur, wie wir den handel ansehen, das er seinen schaden niemands weder seinem losen wesen zumessen möge.

Eurer hohen dancksagung wegen unserer erzeugten gnade, die wir auf euer vorbitlich schreiben der ko.mt. underthonen, welcher sich in unserm zoll su Labiau ungeburlich verhalten, were nicht nötig, dann do wir euch oder umb eurentwillen gleich ein mehrers gethan, so ists euch zu gnaden gerne geschehen. Sollet auch keinen zweifel setzen, das solche gnade gegen euer person nicht aufhoren, sonder stetigs verharren soll.

[f. 462v] Und noch weniger wer notig gewest, das ir euch wegen nicht schreiben mit eigner handt entschuldigt, und ist uns viel lieber gewesen, das ir uf die ko.mt., unser g. frau¹⁾, sampt den koniglichen freulein²⁾ gewartet, mit iren mt. zu irer ergetzlichkeit ausgeritten. Daraus wir gleichwol vermercken, das sich irer mt. schwachheit zu besserung geschickt, Gott bittendt, er wolle ire mt. sampt den koniglichen freulen zu gotlichen ehren und gemeiner cristenheit zu nutz langwirig erhalten.

Das aus Eyfflandt keine gute zeitung kommen, das ist uns zum hochsten mitleidlich, also auch die uneinigkeit des hern meisters³⁾ mit hertzogk Magnussen⁴⁾. Wunschen von herten und bitten Gott den allmechtigen, er wolle allen inlandischen widerwillen zu treuer einmutigkeit ordenen und abschicken, [f. 463] uff das durch desselben gnadt mit einmutiger zusammensetzung dem gemeinen feinde der landt sovil dest stadtlicher möge widerstanden werden.

Und ist uns hertzlichen leidt, das ir mit schmertzen des steins sollet beschwert sein. Bitten auch den lieben Gott, er wolle euch seine gnade mitteilen, uf das durch geordente mittel solche eure schmertzen, wann sy je kohmen, gelindert werden mögen.

Hirneben bedanken wir uns gantz gnedigen, das ir den guten ehrlichen man Achillem Scipionem dermassen gefordert. Wollen seiner ankunft nuhmer teglich gewirtig sein.

Der zugeschickten schreiben, so ir aus Eyfflandt bekommen, thun wir uns in gnaden bedanken und wunschen dem koniglichen kriegsvolck zu irem vorhabenden zugk gluck, heil und grossen syg, [f. 463v] uff das sy dem tiranischen feindt schadtlichen abbruch thun mögen.

Als ir aber meldet, euch hertzlichen leidt sey, das ir nicht gewust, wir nechsten ein weilzeit zu Ragnit und Tilss verharren sollen, dann ir sonst bedacht gewest, uns derorth zu besuchen, sollet irs gewiss darfur halten, das es uns nicht weniger als euch schmertzet. Do wir auch eures gemuts im wenigsten bericht gewest, wolten wir euch unser ankunft des orts zeitlich

gnug vermelden haben. Weil es aber nicht geschehen, wollen wir euch nicht bergen, das sichs villeicht zutragen kont und wir in kurtz nach gelegenheit widderumb des orths sein möchten. Wann solchs geschicht, wollen wir euch unsere ankunft zeitlich gnug vermelden, und damit ir euch darach zu richten haben möget, uf das wir [f. 464] uns auch einsten miteinander sehen, sprechen und ergetzen mugen.

Aus dem dritten eurem schreiben verstehn wir, wess ir uns der zusage halben, die wir unserm secretarien Balthasar Gansen uf euer beschehen bitten zu Rudnik wegen der baustedt uf der Kramerbruken am Kneiphofischen thor gelegen, erinnert und seinethalben umb die verschreibung bitten thut. Worauf geben wir euch zu erkennen, das wir uns der auch disfals gethanen zusage in gnaden zu erinnern. Haben ime auch algereiten vorlengsten die possess derselben stedte eingereumbt. Eur auch seiner gelegenheit nach crambuden derauf gebauet und ist der mangel der verschreibung halben, das er solche nicht bekommen, nurnt an ime selbst gewesen, das er sy nicht gefordert. Weil ir aber seinethalben umb solche verschreibung erinnern thut, [f. 464v] seint wir umb sovil mehr dieselbe ime zu geben geneigt.

In dem vierten eurem schreiben befinden wir, welchermassen ir den cum titulo unsern hofprediger⁵⁾ befördert. Fur solchs seint wir nichts weniger als fur alles ander gnedigen dankbar, und ob wir wol mit ime zum grundt nicht geredet, ist uns doch nicht lieb, das, wie wir gleichwol sonst erfaren, die augspurgische confession (dabey wir auch in irem rechten verstande bis an user ende zu verharren gedenken) also, wie wir bericht, gedrehet und gezogen solle werden. Wann wir aber nun von unserm hoffprediger ferner vermerken werden, wie er die sachen disfals verlassen, und wir mit unserer einfaldt zu cristlicher vergleichung [f. 465] etwas dienen können, wollen wir uns darzu gantz treulichen erbothen haben, auch an unkosten, muhe und arbeit nichts erwinden lassen, uf das wirgklich zu spuren, wir der rechten reinen lehre mit hertzlichem eifer anhangen und solche zu fordern gedenken.

Ferner vermerken wir, wess ir wegen des hern Gregori Kottkowitzen⁶⁾ 2 sohne⁷⁾ halben an uns schreibet. Nun ist gewislich nicht ohn, das wir gemeltem hern Kottkowitz als unserm alten diener mit denen gnaden gewogen, das wir ime und den seinen gnedigen willen zu erzeigen zum hochsten gewogen und geneigt. So wir dann seiner jungen hern alter, nemlich das einer von 10, der ander von 11 jaren ist, vermerken, und wir bey unserm geliebten sohne⁸⁾ 10 knaben polnisches und deutsches gezunges haben, auch die ordnung gemacht, das irer über solche anzahl nicht mer sein sollen, welche dermassen gehalten werden [f. 465v], das sy, ob sy wol etwas alter als unser sohn, dannocht in forcht leben, auch alle upligkeit und das auf- und ablaufen gantz vermeiden müssen. Solchs seint auch nurnt einzelne knaben, den wir keine sondere diener zu ordenen lassen. Daneben hat es auch mit unserm sohne die gelegenheit, das er nach gelegenheit des alters und irer institution, darinnen sy ohne zweifel bisher erhalten, nicht gleich sein kan, dann er erst im alphabet und cathecumus, auch das a b c zu mahlen anfehet. Solten dann die beden jungen hern derhalben in ihrer lehre etwas verhindert werden, das wolten wir nicht gern. So wolt auch usern sohn mit schwerer lehre zu belegen bedenklich sein, damit er desselben nicht gar übertrussen gemacht. Das [f. 466] schreiben wir euch als unserm vertrauten und begern gantz gnedigen, ir wollet als fur euch und unserer unvermerkt bey gedachtem hern Kottkowitz erkundigen, wie er einen oder bede seine sohne gern gehalten sehe, und aber auch vil leuthe,

uf sy zu warthen (welchs wir doch bey unserm sohne, in anmerkung, das vil unzucht und anders bey solchen aufwartenden bisweilen unterlauft, zum hochsten vermeiden), zu ordenen bedacht, und uns solchs mit erstem, wornach wir uns zu richten haben mögen, vermelden. Dann wir uns je gegen dem ehrlichen manne, wie gemelt, aller gnade gern erzeigen und verhalten wolten.

Hettesz²⁾ es aber auch die meinung, das er bedacht wehre, seine sohne, wie sein bruder, der her starost aus Sameiten⁹⁾, seinen sohn¹⁰⁾ alhie helt, in studiis zu unterhalten, wollen wir uns dieselben gantz gnedigen [f. 466v] bevolhen sein lassen, auch die verordnung thun, das sy mit preceptorn und guter disciplin versorgt werden sollen. So wolten wir sy auch als unsere und unsers sohns diener achten, das sy nach irer gelegenheit und ohne verseumnuss irer studies bey uns ab und zu gehn mögen. Wess wir dann vilbemeltem hern Kottkowitz zu gnaden thun konnen, beruhen wir bey vorigem erbyethen.

Der ko.mt. entschuldigung, das sy uns unsers predicanen halben nicht schreiben, were gar nicht notig, dann ire mt. gegen uns als irer diener solchs gar nicht dorffen. Sinnen und begern auch mit allen gnaden, do ir mt. in solchen oder dergleichen fellen ir muhe aufladen [f. 467] wolte, ir wollet sovil an euch darfur treulichen sein, damit sich ire mt. unsernthalben gar nicht beschweren.

Als ir in dem funften eurem schreiben nochmals gedenket, das ir euren diener, wan irn entberen hett konnen, in sachen unsern kellerknecht betreffend an uns zu schicken bedacht gewesen, weil ir in aber nicht entberen konnet, weret ir verursacht worden, solchs unserm diener Hanss Schnellen zu bevelhen. Nun hat Hanss Schnelle uns der dinge zur notturft berichtet, darumb wir umb sovil mehr unnötig achten, das ir euren diener, weil irn sonst bedurft, derhalben von euch het schicken sollen. Was aber den handel in sich betrifft, habt ir oben unser meinung.

Der mitgetheilten zeitung im selben schreiben und wegen des Achili Scipioni fordernus seint wir nochmals in gnaden dankbar mit gnedigem [f. 467v] begern, ir, wess weiter furfelt, wollet uns solchs durch euer schreiben zu vermelden nicht unterlassen. Das seint wir etc.

Commissio Principis ex relatione secretarii
L. Gögicx maior

2) *sic in ms.*

6) *Gregorius Chodkiewicz, castellanus Trocensis
(ab 16.IX.1559 a.)*

1) *regina Catharina.*

7) *Andreas et Alexander.*

2) *Anna et Catharina, sorores Sigismundi Augusti nondum nuptiae.*

8) *Albertus Fridericus.*

3) *Gottardus Kettler, magister Livoniae.*

9) *Hieronymus Chodkiewicz.*

4) *Magnus, dux Holsatiae, episcopus Osiliensis.*

10) *Ioannes Chodkiewicz.*

5) *Othmarus Epplinus.*

N. 5130.

S.l., 31.VIII.1560.

Albertus dux in Prussia

Gabrieli Tarlo et, mutatis mutandis, Erhardo a Kunheim

*Ioannem Schnell, consiliarium suum, negotia quaedam sua ei proponere
cupientem, commendat.*

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 55, ff. 467v-468.

N. 5131.

S.l., 31.VIII.1560.

Albertus dux in Prussia

*Gabrieli Tarto et, mutatis mutandis, Erhardo a Kunheim et Bernardo Pohibel
pro Valentino Stolle, servitore suo, intercedit et rogat, ut apud regem pro eo
operam suam interponat.*

(*Germanice*)

Cfr. EL. XLIV, N. 136.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 468v-469v.

N. 5132.

S.l., 1.IX.1560.

Albertus dux in Prussia

Erhardo a Kunheim

*de atrocitatibus in Livonia a Mosco patratis se ad regem et palatinum Vilnen-
sem scripsisse nuntiat et rogat, ut apud regem instet, quo Livonibus auxi-
lia mature mittantur.*

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 469v-470.

An Erhart von Kunheim, den 1 Septembbris 60.

Wess fur zeitungen aus Eyfflandt an uns gelanget von dem jemmerlichen mördern, brennen und rauben des Muscowitters, haben wir ko.mt. in eil zugeschrieben und dem hern willnischen woywoden¹⁾, [f. 470] irer ko.mt. zu antworten, zun handen stellen lassen, daneben gebeten, s.l. wollen befordern, das die Eyfflander in solchen iren grossen nöten schleunige hulff und rettung bekommen möchten.

Demnach begeren wir auch an dein person, du wollest fleissig bey ko.mt., dem hern woywoden und wo du sonst vermeinest, das es fruchtbar, anhalten und sollicitiren, damit die hulfe ins wergk gestellet und die armen verderbten lande aus des feindes rachen errettet, sonderlich aber das die belagerten fursten, als hertzog Cristoff von Meckelburgk²⁾, erledigt werden.

Das wir dir auf deine jun[g]ste 2 schreiben itzo nit geantwortet, ist nicht aus vergessenheit, sonder der ursach geschehen, das wir die schreiben nit bey uns uff dismal gehabt, uns auch solcher eilenden post nicht versehen. Derhalben sollen sie zu gelegenheit beantwort werden. Wolten dir etc.

Commissio Principis propria

C[onstantinus] Silvius

1) Nicolaus Radziwill «Niger».

2) coadiutor Rigensis.

N. 5133.

S.l., 11.IX.1560.

*Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim*

quid pro supremi marscalci sui Ioachimi Borcke fratre [Andrea, Barnimi ducis Pomeraniae consiliario] ad regem scripserit, ex eisdem litteris suis ad regem eum intellecturum esse nuntiat et rogat, ut eiusmodi litteras regi porrigat et efficiat, quo litterae intercessoriae pro eodem Andrea Borcke in debita forma a rege ad imperatorem scribantur.

(Germanice)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 470v-471.

N. 5134.

S.l., 13.IX.1560.

Albertus dux in Prussia

*Gabrieli Tarto, magistro curiae reginae Catharinae,
de pecunia Nicolao John, cellario olim suo, ad emenda vina ab eo mutuo data;
de vinis Gedani a Simone Loitz et Paulo Jaschke interceptis; de litteris
reginae Catharinae acceptis et responso ad eas iam scripto; de negotio
duorum Gregorii Chodkiewicz [castellani Trocensis] filiorum usque ad
notitias a patre eorum venturas suspenso; pro auxilio Achilli Scipioni
exhibitio et pro novitatibus ex Livonia gratias agit; de hostis [Moscovitae]
ibi insolentia dolet («und noch schmertzlicher ist uns, das die ko.mt.
mit irer macht nichts dazu thun und die wege suchen, damit sy fur
dem feinde in den vortheil kommen möchte»); pro favore secretario suo,
Balthasar Gans, ad intercessionem eius exhibitio tantam gratiarum actionem
supervacaneam fuisse putat; rogat, ut se litteris suis crebrius invisat.*

(Germanice)

Cfr. El. XLIII, N. 222.

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 471v-475.

N. 5135.

*Albertus dux in Prussia
Erhardo a Kunheim*

Neuhausen, 13.IX.1560.

*nuntiat se quaternas eius litteras accepisse et se excusat, quod multis oneratus
negotiis tardius ad eas respondeat; de negotio Petro Paulo Vergerio com-
misso [scil. eius missione in Germania in causa matrimonii sororum
regis, Annae et Catharinae, cum principibus Imperii] ad felicem exitum
non adducto et de ipso Vergerio apud regem suspecto dolet; de meliore
valetudine reginae gaudet; pro novitatibus de rebus Livoniae sibi commu-
nicatis gratias agit et afflictis Livonibus condolet; de «clenodiis» defunc-
tae reginae Bonae ad regem reddituris gaudet, et alia.*

(*Schedula: rogat, ut nulli sumptui parcat et sibi nova, si quae fuerint,
quam celerrime mittat; mittit ei pecuniam, quam in expediendis nuntiis et
tabellariis expendit.*)

Ostpr. Fol., vol. 45, ff. 475-480.

An Erhart von Kunheim, den 13 Septembris anno 60.

Erbar, lieber, getreuer.

